



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Idea Boni Et Perfecti Regiminis

Binet, Étienne

Mainz, 1675


[urn:nbn:de:hbz:466:1-50077](#)

16



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN





m. 1890.

f. III.

18.

IDEA
BONI ET PERFECTI.
REGIMINIS,
addito schemate boni Superio-
ris in persona S. FRANCISCI SALESII,
primo scripta Gallicè à Renato Franco

Prae-titore Regio,

*Dein primum donata lingua Italica,
postea Latina operâ & studio*

F. B. N. O. F. F. M. R.

Sacræ Theologiæ Lectoris Jubilati,

Opusculum

Omnibus Superioribus utriusq; sexus tam
Regularibus, quam Secularibus, utilissimum.

CUM GRAT. ET PRIVIL. S. C. M.

Colleg.




S. J. Radclif.

MOGUNTIAE.

Apud JOH. PETRUM ZUBRODT.

C. LXXV.



શ્રીમતી મુખી પ્રદીપી શ્રીમતી મુખી પ્રદીપી

INDEX

Capitum in hocce Opusculo con-
tentorum , cuius primus numerus

Caput, posterior verò Paginam indicat

Cap.	Pag.
I. Quodnam regimen melius, an suave vel rigidum	1
II. Benignitas est excellentior rigo- re	40
III. Notæ Superioris tam austeri quam rigidi	60
IV. Dulcis regiminis signa	71
V. Dicta declarata per praxin, eorum- que notabile exemplum	92
VI. An Prälatus possit satisfacere omnibus, & id debeat deside- rare	103
(a) 2	VII. Cur

• 6) o (20

VII. *Cur Deus quandoque permittat,
quod bonus Abbas habeat malos
Religiosos , malus verò bonos,
Quæst. S. Bernardi.* 129

VIII. *Boni Prælati Idea exprimitur in
Sanctissimi & Illustrissimi Epi-
scopi Genevensis persona* 154



Idea



Idea boni regiminis.

CAPVT PRIMVM.

*Quale sit melius regimen, an
suave, vel rigidum.*

TOtuS munduS in hoc convenit,
quod ars regendi homines sit res
difficillima inter omnia negotia
mundi. Ut dicam, quod res est,
quot sunt homines, tot sunt microcosmi.
Immo forsan res magis ardua est regere
minorem mundum, quam majorem. Cur-
sus mundi majoris adeo est uniformis, &
æqualis, ut dicere possimus, eum, qui illum
regere potest per annum absque fastidio,
& difficultate, perenniter eundem guber-
nare posse. Verùm Microcosmus quovis
momento mutatur, & est Triton, seu bra-
ctea vulgo Gallus Campinilis, ita ut o-
mnes illi, quibus præs, & quos gubernas,
sint mundi, quorum quilibet ab altero dif-
fert. Unus est totus igneus, & omnia sua

A facit

2 Idea boni Regiminis

facit impetuosè: alter est frigidus, & gravis, ac si esset plumbum , & difficulter est movibibis & dirigibilis, ac si foret gleba terrea , & si eum parum premas, agitur in desperationem , & frangitur. Ille est levis & instabilis, instar argenti vivi, adeo ut instar Mercurii figi non possit. Hic est morosus, & quasi Hypochondriacus , qui omnia in sinistram partem interpretatur, nec aliud agit, quām quod murmuret, conqueratur, nec aliquem in toto mundo se candidiorem & innocentiores autumat. Altius est totus gloriosus, tanta reperitur diversitas, forsan nō minor reperitur alius considerari, & suspici nō debeat. Hic ab omnibus vult colli, mulceri, adeo ut si ostendas te eum despicere, statim suspicionibus agiterur, & tibi nō fidat. Qualis ergo capacitas, vel ut melius dicā, gratia cœlestis nō exigitur, ut tā diversi humores feliciter, & cum aliquali satisfactione gubernentur.

Verūm enim verò, dum in subditis, & iis, qui reguntur, & ita tunidus scipso, ut sibi imaginetur, quod in hoc mundo in Prælatis, & iis qui gubernant; nam aliqui opinantur regimen debere esse nervosū, rigorosū, efficax, quidquid tandem sequatur.

Alii

Alii præferunt regimē dulce, cordiale pa-
ternā benignitate refertum. Sapientiores
volunt regimen severū benigno miscendū,
& temperandum, Rosam copulandam spi-
nis, & gubernandum suaviter, & efficaci-
ter. Res pessima est, quod quivis sibi pal-
pum obducat, & certò sibi persuadeat,
suum regimen esse tale, & habere tantam
dulcedinem, & efficaciam, quanta exigi-
tur. Verbo quilibet censet suum regimen
esse perfectum compositum, & mixtum
ex suavi rigore; ita ut si aliquis hoc neget,
& contradicat, autem totum mundum
in hoc, excepto se, errare, omnemque do-
cibilem, & non pertinacem, si bene infor-
metur, asserturum ejus regimen esse bene
temperatum, eaque suavitate & acrimo-
nia, quæ exigitur, & necessaria est, prædi-
tum; nec ullum in hac suavitate, & acri-
monia dari defectum, vel excessum. Res
mala est, quod nullus hoc credat, nisi ex
numero illorum miserorum, vel aliquis
palpo, qui se hoc credere simulet. Immo
quod pejus est, re ipsâ non est verum regi-
men. Quod si aliquis retur perfectionem
tam rarâ posse obtineri paucis mensibus,

A 2

pauco

Alii

Idea Boni Regiminis

Pauco studio, exiguâ bonâ intentione, ille infallibiliter ostenderet id, quod tam firmiter credit, uō esse tale, quale sibi imaginatur, & credit: nam communiter illi, qui tam pretioso talento dotati sunt, ingenuè solent fateri, quod tale talentum necdum habeant, quamvis continuò studeant, & consentur illud acquirere; ideoque dum suam debilitatem agnoscent, quantum est possibile, intra limites obedientiæ, declinant crucem regiminis, & fugiunt clavum navis jugiter à tot turbinibus, & ventis adversis oppugnatæ, & exagitatæ. Dum ergo aliquis re ipsâ se inhabilem ad regimen existimat, & quemcunque alium sibi non apparenter, neque simulatè, sed uti re ipsâ est, coram Deo, & Angelis, præfert, in veritate ostendit, se esse dignū prælaturā.

Omnes ergo in hoc conveniunt, quod excellentior & perfectior modus gubernandi sit ille, qui est efficaciter dulcis, & bene temperatus, quiq; pro re natâ scit uti suavitate, & rigore, & horū affectuū absolutus est Dominus; qui irascitur, dū res ita exigit, sed irâ columbinâ; ita ut velut agnus nesciat lædere, nec ulli aliquid in alium inferre.

ferre. Rursus, dum blanditur, dum suaviat, dum in suo regimine se affabilem, & benignum exhibet, nec in minimo relaxat disciplinam, sed potius subditos excitat, ut sponte, & prompte suæ obligationi satisfaciat. Dum irascitur, est pater: dum blanditur est mater: interim nec pater, nec mater dissimulant, nec parcunt virgæ, dum exercenda est. Et vera ingenuè fateri debemus, raro reperiri hanc Phœnicē, quæ hanc mediocritatem auri conservet, & lanceam sanctuarii ita moderetur, ut nunquam in unam, quam alteram partem magis propendeat, nisi justissimum pondus ita exigat, & ratio per manus charitatis aliquod exiguū granū uni lanci adjiciat, ut alterā deprimat.

Fateamur itaque, nullum esse quasi hominem, qui non aliquantis per magis in unam, quam in alteram hanc lanceam propendeat, quamvis forsan coram Deo innocens sit, & in hoc non peccet. Hic ergo quærimus, quodnam ex his duobus sit melius, an propendere ad lanceam dulcedinis, vel rigoris; an esse suavem vel severum? Quæritur, an si debeat excedi, & admittendus sit aliquis excessus, satius sit

A 3 exce-

excedere in bonitate & benignitate, an vero
in duritate, quæ vocatur asperitas, & rigor?

Illi qui stant à rigore, quem vocant firmitatem animi, generositatem, animum virilem, nervosum, zelanteam disciplinam, hæc pro se allegant.

I. Natura humana nimis prona est ad libertatem, & faciliter relaxatur, ideoque aliqualis rigor adhibendus est, ut continetur intra terminos debiti, ita ut si forsitan hos limites transfiliat, & ex iis egressa sit, exigatur validum frænum, valida calcaria, quibus acriter pungatur, ita ut aliqua gutta sanguinis eliciatur.

II. Nisi aliqua vis adhibeatur, solum plaga aliquod emplastrum adhibetur, ita ut infirmus faciliter relabatur, adeo ut Clementia plagam apertam teneat, & apostema foveat, ut tandem ruipatur, & pus, ac tabium emittat.

III. Ipsi Apostoli vocati sunt filii tonitri, nec quædam animæ morbidæ bene curari possunt, nisi aliquo rigore terreantur, & aliquo strepitu acrimum, & asperorum verborū eorū insolentia refundatur,

IV. Ut subditis præbeatur ansa merendi,

Caput Primum.

di, Prælatus debet illis præcipere, non autem rogare, & supplicare: nam alias medietate meriti obedientiæ privantur.

V. Præcipui fundatores ordinum Religiosorum adhibuerunt magnum rigorem, præscripserunt multas austерitates, nec in suis Regulis de aliis loquuntur, quam de carceribus, ciliciis, excommunicationibus, gravibus pœnis, si aliquod grave delictum committatur. Et sanè asserendum est, his, qui habuerunt Spiritum Domini, perspectas fuisse indigentias humanæ naturæ.

VI. Negare non possumus, quia adhibendus sit amor, sed si hic pro re nata misceatur exiguo timore, infallibiliter cor in officio continet, & intra terminos debiti constringit. Christus suos Apostolos vocat *Sal mundi*; quod si sal non sit aliqualiter acre, & mordax, nequit condire fercula, nec impedire, ne corpus humanum putrefiat.

VII. Virga, quam gestabat Moyses, quamque minabatur S. Paulus Christianis, luculenter denotat, quod Mannæ, quo pascebant filios Dei, debeat adjungi

A 4 flagrum,

flagrum, & aliquis rigor, ut populus D^ci
rectè ducatur.

VIII. Est dulcis necessitas, quæ homi-
nes ad bonum cogit, & ipsimet subditi, qui
aliquā asperitate gubernati fuerunt, tan-
dem in fine vitæ exultant, & vident, quod
sic regi debuerint.

IX. Experientia nimis clarè ostendit,
timorem esse principium sapientiæ, mul-
tosque fuisse libertati dandos, & forsan
damnados, nisi aliquo rigore, & sancto
timore cohibiti fuissent.

X. An aliquis mundum melius guber-
net Deo? Interim non obstante, quod sit
ipsa bonitas, adhibet minas, fulmina, sagi-
tas, & vult vocari terribilis, tonans, Deus
exercituum, ignis devorans, & consumens
omne id, quod ejus legibus, & mandatis
non obtemperat.

XI. In arca Testamenti, quæ asserva-
bat tabulas legis, cum Manna reperieba-
tur Virga; nam ut Lex Dei bene observe-
tur, præter Manna, & suavitatem, necessa-
ria est virga, & adjungendus aliqualis ter-
ror, connectenda aliqua punitio.

XII. Prælatus, qui faciliter flectitur, &
ad

ad minimam excusationem subditorum acquiescit, nil boni efficiet; quilibet se excusabit, & nihil proficui fiet. Insolentes, perversi semper vincent, boni, morigeri opprimentur, succumbent, & graves murmurationes, periculosa schismata, turbulentæ factiones suscitabuntur.

XIII. An Spiritus S. non dixit, quod parcens virgæ pervertat suas proles, familiamque suam destruat? Et quomodo disciplina, vigor ordinis manu teneri possit, nisi adhibetur moderatus rigor, qui quemlibet in exacta observantia religiosæ disciplinæ coercent?

XIV. Heli fuit punitus & castigatus morte, fuit orbatus filiis, arca D^ei, vita, honore, dignitate sacerdotali, quia non punivit filios, & nimis levem erga eos se exhibuit, adeo ut ipsemet Deus hanc causam ejus totalis ruinæ asserat.

XV. Superior vocatur Pastor. Et quis unquam eum vidit absque baculo? Hunc semper manu versat, in aëre vibrat, jugiter paratus ad percutiendam illam ovem, quæ vel paulisper ab aliis se separat, & ovile egreditur. Innocentes oviculæ ad solam

A 5 umbram

umbram illius pedi tremunt , & intra ovile , ac terminos debiti continentur.

XVI. Per quotidianam experientiam cernimus plures abuti nimia bonitate Superiorum , ex ea crescere inordinata desiderio , fieri insolentes postulationes , extorquerilicentias nocivas ordini , eo quod innitantur spei , nihil iis denegandum , ita ut audaces fiant insolentes , nec aliud faciant , quam quod volunt ; soli morigerati sint feræ religionis , applicentur muniis molestioribus , & abjectioribus , aliis interim ovantibus , & tripudiantibus , & eorum simplicitatem irridentibus .

XVII. Sæpe contingit , nimiam condescendentiam Prælati mutari in contemptum , adeo ut dum in vili habetur ejus persona , vilipendantur ejus mandata , quod est ruina religionis , exterminium obedientiæ , perditio ipsorum Religiosorum , qui fiunt adeo delicati , ut debeat tractari velut vitra , quæ ad minimum iustum rumpuntur .

XVIII.

XVIII. Pharmaca dulci relaxant stomachum , medicamenta suavia leniunt quidem plagam , sed nunquam eam sanant : Pauxillum absynthii disponit stomachum, & quamvis sit valde amarum ori, attamen stomachum confortat, cor roborat. Exiguus rigor in principio quidem est amarus, sed animæ bonæ eo proficiunt, & utilitatem ex eo eliciunt. Cœlo tonante quilibet tremit, ad latebras confugit, & ad Deum calentes orationes fundit. Hæc & similia argumenta clarè probant, quod si ad unum ex his duobus lateribus declinandum sit, satius quis sequatur partes rigoris, & cujusdam dulcis leveritatis; nam ita melius disciplina regularis fovebitur, & conservabitur.

E contra illi, qui in regimine militant sub vexillo dulcedinis , habent plures rationes, & quidem apparenter validiores, fundatores rationibus rigoris, ideoque sic discurrunt.

I. Tres celebriores viri totius mundi, nempe Moyses, Christus & S. Petrus fuerunt excessiva suavitate prædicti.

A 6

De

De Moysē refertur, quod sub cœlo nullus eo dulcior, mansuetior fuerit, ita ut populus libentius cum eo , quam cum Deo tractarit. Deus loquebatur voce tonante, & totū fugabat mundū . Moyses loquebatur pacifice, erat Rex cordiū, & Deus p̄s̄us Pharaonis. Christus non gloriatur, nisi de sua humilitate, excessiva benignitate, nec curat, quod aliam lectionē, quam hanc ab eo audiamus. Præterea S. Petrus impensiūs vacabat lachrymis, quam jussionibus, pluresq; lachrymas fandebat, quām jussiones dedit; dumque à Christo Ecclesiæ præficeretur, nil aliud ab eo quæsitum fuit , an non eum præ cæteris intensius amaret, & majorem charitatem, ac amorem haberet? Et quidem ter fuit interrogatus, & ter illa interrogatio fuit repetita, ad denotandum unicum modum regendi esse amorem, & summam suavitatem.

II. Unum è validioribus argumentis, quæ militant pro clementia , est sensus communis ; nam si omnes interrogemus, num potius velint dulcedinem, & benignitatem, quām severitatem illicò, seposito omni fuso, sensum suum proferent pro clementia.

III. E:

III. Et hoc adeo verum est, ut ipsimet, qui in Prælatura sese rigidos erga subditos exhibent, dum subditi fiunt, nec minimum rigorem in suis superioribus sufferre possint. Et revera nil pejus iis obvenire potest, quam si alius exactus sicut ipsi, eadem severitate illos regeret, quam ipsi rexerunt; nam fateri debent, & sensim fatentur, quod videant, & reipsa experiantur, regimen dulce esse validius, efficacius, magis durabile regimine severo, quandoque in regimine suavi omnia incomparabiliter melius succedant.

IV. Quodam die inter Carduum, & Rosam lis exorta est, quisnam ex iis esset præstantior: Tu arguebat Carduus, tuam nimiā suavitate corrumpis aërem, & occides miserum scarabæum, qui tantum odorem sufferre nequit. Tu è contra replicabat Rosa, es adeo rigidus, ut vel pelle exuas, vel sanguinem elicias. Dum ita litigarent, quidam supervenit, qui percepto statu quæstionis, stetit à parte Rosæ apertere pronuncians, communi sensu hominum Rosam incomparabiliter meliorem esse, eamque esse præferendam, scarabæi-

A 7

que

que mortem non esse attribuendam tantæ
fragantiæ, sed ejus pravæ naturæ, mali-
gnæ complexioni, ita ut Rosa omnino in-
nocua sit.

V. Et profectò major virtus, animus
multò solidior exigitur ad regimen sua-
ve, quām ad regimen asperum: nam re
ipsa nil aliud, quām impotentia naturæ,
vel quidam naturalis fastus, aut occulta
superbia hominem tam elatum efficiunt,
ut nec minimum sufferre possit, & sub
prætextu zeli omnes suas passiones effun-
dat, & suum amore in proprium, qui nil to-
lerare potest, prodat.

VI. Aristoteles optimè notat, debilio-
res ob imbecillitatem complexionis, im-
potentiam animi, esse crudeliores, aspe-
riores, magis dominativos aliis, nil suffer-
re posse, sibique semper imaginari, quod
despiciantur. Idem docet experientia in
decrepitis; nam senes, infirmi, valetudi-
narii, morosi, tumidi pravis humoribus,
prædicti mala complexione; illi qui nullâ
eximia dote dotati sunt, tetrici, Juvenes
sanguinolenti, igniti, cholericí, ob me-
ram impotentiam, sunt valde dominativi.

Cor

Cor magnanime omnia hæc absque ullo strepitu devorat , & cuncta perfectè emendat . Verùm , hæc corda exilia statim arripiunt ignem , & sub prætextu zeli tonant , & flamas , ac ignem evomunt.

VII. Accedit argumentum validius , quod illi , qui aliàs valde mites sunt , si aliquo morbo corripiantur , aliquâ molestiâ infestentur , aut grano pruriginis mordeantur , fiant imperiosi , asperi , severi : ita ut omnes mirentur , eos cum Angelo Apocalyptic in leonem mutatos . Et sanè hoc nîl aliud est , quam argumentum & signum evidens , illam severitatem nîl aliud esse , quâm debilitatem , & exiguum imperium , quod quis habet in suas passiones . Sapiens inquit Seneca , nunquam irascitur , nec à suis importunis humeribus sinit se vinci . Bestiolæ ad minimum tactuim statim mordent ; Leo , & Elephas nec caput movent , ad aspectum catellorum , qui eos alluant .

VIII.

VIII. Et revera à vero nec per capillum abest, quod Superiores, qui vel aliqualiter severi sunt, pati nequeant existimationem, quâ alii eos severos judicant; immò ipsi met sibi persuadere nequeunt, quod rigidi sint; quin potius sese valde mites judicant; illosque crassè hallucinari, qui contrarium de iis autumant, & pronunciant, sibique imaginantur, quod apicem clementiæ attigerint, quod tamen nil aliud est, quâ si spina putaret se esse Rosam, eò quod eidem roseto innexa, & infixâ sit.

IX. Quadam vice nonnulli Apostoli irritati, ob, nescio quid iis denegatum, & non datum, à Christo flagitarunt, ut ignem è cœlo dimitteret, illosque temerarios, & insolentes, qui Apostolis, ipsique Salvatori ingressum in eorum terram disputabant, incineraret. Verùm, Christus mansuetus Agnus eos acriter reprehendit, iisque dixit, hunc non esse genium Apostolicum, nec spiritum, quem iis toties inculcat, & commendarat, non quod illi perversi illud supplicium non promeruerissent, sed quod ille genius non esset cœli, & Dei, qui

qui mundum suavitate dignâ suâ bonitate,
quæ infinita est, gubernat. Homo vilis, uti
quotidiana experientia docet, uno mense
plura in virtute sanctæ obedientiæ præci-
piet, quâm sensatus superior per viginti
annos. Signum magnæ impotentiæ est,
quod aliquis in momento omnia in verti-
ce summi rigoris collocet, & tale impe-
rium in alios exerceat, ut aliqualis Tyrannus
spiritualis vocari possit.

X. Et revera esto nullum aliud argu-
mentum pro clementia militaret, solus
successus regiminis severi sufficit. Præla-
tus, quem subditi magis timent, quâm
amant, omnibus invisus est; nam timens
naturaliter eum odit, quem timet, cumque
eum in odio habeat, certum est, quod non
nisi invitus ei obtemperet: omnia eviden-
tur gravia & impossibilia; mille adfert ex-
cusationes, ut se defendat; judicium nun-
quam se submittit, immò potius ad con-
trariam partem deflectit; contra omnia
murmurat, cor obduratur, & congelatur;
jugum ei fit insupportabile, numerat dies
regiminis, dumque tempus Prælaturæ ex-
pirat, totus mundus lætatur, & Prælatum

ab-

absolutum ad Antipodes relegari optaret. Quod si forsitan in eodem loco eum commorari contingat, illi, qui fuerunt ejus subditi, suum exiguum erga eum affectum millenis clarissimis argumentis testantur, & quandoque aliquod verbum exiguae reverentiae ejectant. Omnes nil aliud optant, quam quod nunquam amplius promoveatur, vel ad minus, ne unquam ei subsint. Millena contra eum effutiuntur, scribuntur, excogitantur, ita ut ipsemet tandem agnoscat, quod non solum animos sibi non conciliarit, sed potius irritarit, & exacerbarit, & ex ejus regimine nil aliud pullularit, quam odia, desolationes, aversiones. Contrarium evenit eis, qui suaviter gubernant; nam totus mundus eos amat, omnes flent, dum abeunt, & si forsitan moriantur, dices omnia bona cum iis amissa, & mortua.

XI. Sol & ventus, ut refert Plutarchus, quadam die litigarunt, quisnam majori amabilitate praeditus esset ad alliciendos homines, eorumque corda concilianda. Ventus totus impetuosus accepit fortiter exercere suum furorem, & vi sui spiritus omnino

omnino violenti, omnia invertere. Ast homo involvens se pallio, & vestem corpori adstringens, confugit ad ædes, & occlusis portis & fenestris diris ventum, ejusque furorem, devovet. Sol è contra, dum suam potentiam prodere debet, quodam benigno radio caput, & pectus hominis impedit, & dulcem flammarum in ejus corde accendendo sensim eum calefacit, ita ut homo pallium abjiciat, thoracem aperiatur, vestem laxet, & totum suum cor soli, quem intuetur, velut bellam imaginem Dei, patere vellet, summo gaudio afficitur, non satiatur ejus aspectu; nam adeo à gaudio, & stupore ejus rarae venustatis, & dulcis amabilitatis rapitur. Severitas est ventus congelatus, qui quodvis cor conglaciatur. Dulcedo est Sol, qui accendit, & tam potenter corda flectit, ut quidquid velit, obtineat.

XII. S. Paulus in tertio Cœlo didicit modum regendi animas. Audiamus itaque quid dicat, quod si aliquis titubet, inquit, & vacillet, ac labatur, vos qui vere spirituales estis, defectum ejus ei proponeite, sed in spiritu magna suavitatis, & leni-

lenitatis, & advertite, quod qui tam severè
alios reprehenditis, forsan crastina die in
defectus graviores lapsuri sitis. Et an ve-
litis, quod post vestrum lapsum is, quem
tam acriter increpatis, etiam tam acriter
vos objurget, vobisq; dotem augeat, sicut
vos auxistis defectum, quē ille commisit?

XIII. Sunt nonnulli, qui quasi absque
peccato mortali nequeunt reprehendere
quædam peccata venialia, ita ut majorem
defectum committant, & majorem pas-
sionem ostendant in corrigendis aliorum
defectibus, quam sit defectus, quem per-
stringunt. Sed quomodo corrigant alios,
cum seipso corrigere nequeant? Imit-
tantur illum stultum, qui jacturam utrius-
que oculi lubens subiisset, dummodo ejus
hostis juratus uno orbatus fuisset.

XIV. Verum quidem est, quod aliquis
possit abuti bonitate Superioris, sed hi
non sunt nisi aranei, qui fel & venenum ex
floribus sugunt. Soli mali clementia, &
mansuetudine Superiorum abutuntur.
Verum rigor etiam bonos sauciatur, & me-
liores lædat, & ipsi prudentiores austeri-
tate, & rigore magis offenduntur. Acce-
dit

dit, quod illi, qui abutuntur suavitate, & libertatem arripiunt, tandem sincerè fateri debeant, quod id purè ab eorum malitia processerit, & quamvis ipsi hoc non fatrentur, attamen totus mundus eorum malignum genium, & perversitatem sugillaret. Verùm illi, qui à rigore offenduntur, continuò severitatem Prælatorum traducunt, & inveniunt, qui eorum opinionem confirmant, & citò aut serius volunt suam innocentiam prodi, & austерitatē suorum Prælatorum agnoscī ab illis, quibus subsunt, ideoque ad illos eam deferunt.

XV. Adde, quod illi, qui abutuntur mansuetudine, faciliter ad rectam viam redeant, seque illi sinui committant, quem sciunt benignitate, & dulci clementiā refertum. Verùm illi, qui pertæsi & execrantes nimiam severitatem labuntur, desperant, abeunt, & non absque miraculo reducuntur. Quoddam ex primis Conciliis dicit Ecclesiam vocari columbam, & non aquilam, aut corvū, qui mordent, lacerant, & ex natura mordaces, & crudeles sunt; eò quod columba tantum dulciter gemat, nullum fel habeat, suisque alis ei blandiatur,

tur, qui eam percutit. Ita quoque verus Superior debet esse columba valde dulcis absque ullo felle. Superior, qui mordet, lacerat, quique suo duro modo procedendi videtur subditos velle diserpere, uti inquit illud magnum Concilium, nec in minimo Spiritui Ecclesiæ, genio Christi Jesu concinit.

XVI. Romæ colebatur Dea eburnea, pulchra instar Solis, quæ omnes propitio notabat oculo, & cuivis intranti ejus fanum sese benevolam exhibebat, quilibet benigno oculo ab ea se notari putabat, & totus mundus ad eam configiebat, ita ut multi à multitudine eorum, qui devotionis ergo ad ejus facellum confluabant, opprimerentur. Prope hoc facellum colebatur altera Dea, diversi omnino genii, nam cilia habebat torva, oculos offuscatos, faciem severam, formam & Majestatem omnino tetricam, & truculentā. Et en rem miram, narrant Historiæ, neminem quasi visum, qui ejus aræ adgenicularetur, & hoc adeo verum est, ut si daretur Deus, qui esset totus benignus & suavis, & aliis qui esset totus dirus, austerus, totus mundus adoratu-

raturus esset illum, hunc verò abnegatus. Et ideo populus Dei libentiùs audiebat Moysen totum humanum , & benignum, quàm Deum, qui loquebatur tonando,& fulminando.

XVII. Omnes magni Sancti, qui fundarunt Religiones , eminenter fuerunt prædicti hac prærogativâ, & fuerunt valde mites,affabiles,humani , & semper velut Angeli,qui nil spirant,nisi dulcedinem , & benignitatem prodierunt. S.Macarius vocabatur Deus Monachorum, quia è tot millibus Religiosorum , quibus præerat, nullus eum unquam vidit fulminantem, aut tetricum. S.Bernardus fatetur suam culpam , & coram Deo,ac toto mundo se accusat , quod dum esset juvenis Abbas, prætextu zeli sibi & aliis tam austerus fuerit,ut omnia quasi destruxerit. Dum quodam die S. Abbatii Popponi viro eximiae mansuetudinis objiceretur, quod suâ nimia humanitate monasterium & Monachos perdidisset, objurgatores sic affatus est:amantissimi Confratres , me felicem censem, si ob nimiam charitatem , mansuetudinem,dulcedinem damnarer, nam

Christo

Christo Jesu dicerem , ecce nobis com-
mendasti humilitatem cordis, mansuetudi-
neam, clementiam , si nolueris eam à nobis
exerceri , & ob illam exercitam nos dam-
nes.

XVIII. Verùm enim verò non nemo
opponet , Heli ob nimiam suam bonita-
tem erga suos filios omnia pessundedit;
Sed audi sis, Benigne Lector , tu rem non
capis , vera clementia non connivet, nec
dissimulat defectus , sed eos efficacius re-
primit, & corrigit , hac tamen diversitate,
ita ut quod aliis facit fulminando , minas
intentando , clementia faciat limâ surdâ,
aureâ, absque strepitu. Globus æneus ex-
perimenti causa in validam cataphractam
explosus, magnum quidem edit strepitum,
chalybem aliquantis per contundit , glan-
dem debilitat, ita ut in terram decidat, sed
loricam bene attemperata m non transfo-
dit. Verùm si cochlear balsami, vel olei
olivarum in eandem loricam effundatur,
paulò post hic liquor insensibiliter illud
ferrum penetrabit , & sine strepitu gutta
usque ad alteram partem illius metalli,
quod globo impenetrabile fuit, perfrin-
get.

get, eamque madefaciet, absque strepitu, mortificatione, destructione minima, quidquid videtur impossibile, fiet, ita ut si illa loricaratione prædita foret, infinitas ageret gratias ei, qui eam hoc modo penetravit. Cardinalis Bellarminus, dum Collegij Romani Rectorem ageret, adeo fuit mitis, & mansuetus, ut nullus ei aliquid negarit, aut ejus jussis vel in minimo refragatus sit. Alius quispiam magnum tumultum excivisset, sed mediatem negotiorum non expedivisset.

XIX. Et an aliquis id melius possit sci-
re Deo? Et quisnam Spiritus ei magis
placeat? an sœvus, & immanis? An non
potius placabilis & suavis? Beati, inquit
ille, qui aguntur Spiritu mansuetudinis:
nam Domini erunt mundi, & Imperato-
res cordium. Re ipsâ, mitis, & benignus
est magnes cordium, qui totum mundum
ad se trahit; nil ei est impossibile, & in se-
ipso summâ fruitur pace. In mari pacato
nulla cernitur tempestas; Mare turbi-
dum semper infestatur ventis, agitatur
tempestatibus, infame est ob naufragia,
& totum calamitatibus, ac infortuniis re-
fertum.

B

XX. Res

XX. Res non spernenda evenit Elix.
Hic sanctus vir erat totus igneus, & ardore stupendo exardens, ita ut si aliquis ejus votis nō annueret, illico ebullierat zelo & magno fervore; ita ut sibi ipsi necem exoptarit, eo quod vota sua frustrata cerneret. Deus itaque quadam vice aliquid ostendit, quod ei potens lectio fuit; dum jam in apice sanctæ desperationis jaceret, & in extrema ora, in qua deberet usque ad finem mundi manere, persisteret, sibique mortem optaret; Deus ei mandavit, ut se pararet ad intuitionem Divinæ Majestatis. Et enī illicò omnia elementa cum tanto strepitu, ut petræ diffringi, & montes inverti jurasses, commota sunt. Verūm ei dictum fuit, Deum non reperiri in turbine tam sævo, & strepitoso. Post hanc commotionem ventus sævus tam vehementer flare cœpit, ac si montes firmiores excindendos minatus fuerit. Verūm nec Deus in tam horrenda sævitie venti tam truculenti reperiebatur. Dein sequebatur validus ignis, qui omnia elementa in favillas redigere videbatur. Elias autem hanc vocem audivit; neque Deus degit inter flammam.

flammas hujus ignis fatalis, qui non minatur nisi mortes, strages, & incinerationes. Majestas quippe Divina deditur has violentias. Verum tandem ventus lenis Orientalis, seu Subsolanus flare cœpit, & sibilum summè gratum, & placidum edidit. Et hic Elias exclamans dixit: hic absque dubio Deus venit, & prosternens se in terram, faciem pallio texit, eum adoravit, eique ob favorem tam exiinium, quo ei divinum beneplacitum, & modum agendi Divini Spiritus, manifestarat, gratias egit.

XXI. Magna intercedit differentia inter obedientiam damnati ad triremes, & Religiosi. Ille non remigat, nisi adigatur ictibus duri nervi bovis; & mare tantum verberat, ad numerum verberationum truculentarum, quibus ejus dorsum validis fustibus delumbatur. Verum Religiosus est similis populo Dei, qui, ut inquit David, regitur instar ovis. Ostende huic paupillum herbæ, & ubique te sequetur, usque ad abyssum, post te saltabit. E contra monstrat ei pedum, & tota tremet, ac fugiet, Tu deduces, inquit Regius Vates,

B 2

Jose-

Josephum velut tenerum Agniculum absque ulla resistantia, teque cum gaudio, & gustu per deserta sequetur. Is qui operatur ex amore, plus facit quam exigatur, & voluntariè operatur. Quisquis operatur coactè, is operatur illibenter, & nihil facit, quod valeat; sed jugiter vacillat, & quotiescumque potest, jugum excutit, & in perpetua tristitia, ac melancholia vivit.

XII. S. Ignatius eximus Magister Obedientiæ, & boni regiminis afferit hoc in duobus consistere, nempe in dulci efficaciâ, & efficaci dulcedine. In hoc ligamine, in hoc nexu consistit felicitas boni regiminis. Austerus attendit ad tò efficax, dumque id quod impetrat, executioni mandatur, se sufficienter clementem automat. Ille qui est mollis, qui que omnia indulget, attendit ad tò dulce, & nisi invigilat, ac iutendat, omnia destruit. Verum is, qui dulcedinem efficaciæ jungit, est Rex hominum, & verus Seraphim. Ego statim dicam, qualiter hoc possit fieri, & si bene attendamus. S. Ignatius idein declarat, dum inquit; *Quod si aliquis defectum aliquem*
notata-

notabiliorem committat, patrata primò debeat tantùm paternè monere. Quod si relabatur, oleo exiguae inonitionis addendum est pauxillum aceti, & defectus commissus ei proponendus, & facies dulci rubore perfundenda. Quod si tertiâ vice facinus patret, publicâ pœnitentiâ plecti debet. Et an quis majorem suavitatem, & efficaciam adhibere possit? Quod enim cor post hæc media adhibita audeat murmurare, aut in defectum relabi? Si enim habeat guttam puri sanguinis, granum veræ Religionis, lapsum timebit velut pestem, seipsum incusabit, & damnabit, si ex merainfirmitate, & debilitate relabatur.

XXIII. Quis unquam crederet S. Franciscum Patrem, & Generalem sui Ordinis, qui tam rigidus fuit suo corpori, quod vocare solebat suum asinum, quodque nil aliud spirabat, quam maximam austerritatem, fuisset tam dulcis in suo regimine, ut maluerit abdicare Generalatum, quam clementiam in regimine Religionis remittere? In ejus opusculis legimus, eum Guardianis interrogantibus, quem modum in regimine servare deberent, sequentes regulas præscripsisse.

Primò, Sitis Medici , & non carnifices; hoc est , defectus subditorum vestrorum corrigite fraternâ benignitate , & non rigore , & suppliciis indignis vestrīs personis , & officio Patris.

Secundò. Verum regimen consistit in quinque verbis,nempe in vigilantiâ, amore, supportatione, ignoscentia, pastu boni cibi , & dulcis doctrinæ Agni Christi Jesu.

Tertiò. Verus Prælatus debet esse hostis vitiorum , benignus Medicus perversorum,quos sensum curabit.

Quartò , Ne faciliter credatis garrulis, & delatoribus , qui toti sunt in observandis defectibus aliorum: nam hi communiter sunt aliis perversiores, & ne defectus eorum observentur,non nisi de defectibus aliorum loquuntur.

Quintò. Ne unquam inauditum condemnetis , esto accusator foret Sanctus; nam alias errores irreparabiles committetis.

Sextò. Ego abdico Generalatum, quia volo tantùm corrigere meo exemplo , & efficaci dulcedine meorum monitorum.

Si

Si hoc non sufficiant, nolo in castigando esse carnifex velut sacerdtales. Hæc sunt ipsamet verba Sancti.

Septimò. Angue pejus detestemini vitia; amate autem ex corde eos, qui deliquerunt; nam vestra bonitas eos convertet.

Octavò. Quod si aliquis fuerit lapsus, Guardianus si delinquenti bene velit, si Deum amet, si velit esse filius Dei, dicat cum Christo: mi fili peccasti, ne amplius pecces. Hæc à bono Guardiano desidero.

Nonò. Forsan coram Deo es peior illo, cui præces, & tamen sanum & vivum illum devorare vis. An hoc non consideres, nec cogites, quod forsitan cras sit futurus tuus superior? An velles hoc modo ab eo regi?

Decimò. Res intoleranda est, quod dum subditus vult superiorem, qui sit totus suavis, Superior sit truculentus, & Tyrannus, præcipiuus in virga, & cum tam exiguo respectu.

XXIV. Præcipui Sancti has regulas observarunt, & omnes Sapientes citius, vel serius agnoscunt, & candide fatentur in hoc consistere nervum perfecti regimini. Id observat in Deo Salomon,

B 4

& ad-

& admirans ejus modum procedendi, Sa-
pientiae duodecimo sic fatur: Magne De-
us, extra me rapior, dum recogito te esse
Deum Omnipotentem exercituum, &
tamen incomparabili tranquillitate judi-
care homines, & de nobis tantâ reveren-
tiâ, & respectu disponere, ac si timeres no-
bis inferre malum, & ultra nostras vires
nos gravare. Quidquid vis potes, nec
tamen idcirco vis, quidquid potes, & do-
cere vis mansuetudinem, & benignitatem
erga alios; quod si enim tuos hostes tam
cautè punivisti, timens ne tuum rigorem
erga eos exerceres, quâ diligentia & beni-
gnitate non reges tuos filios, qui sunt tua
viscera? Hæc sunt verba illius Regis paci-
fici. Et hinc non amplius demiror Salo-
monem postquam attente ruminavit, &
gustavit illa verba. Suavis, & dulcis modi,
quo gubernat Deus, fuisse Regem pacifi-
cum, totum plenum benignitate & boni-
tate; nam si ille, qui potest evibrare sagi-
tas, & fulmina puniendis perversis, censem
millies satius esse uti misericordia, & po-
tius super eos pluit Manna, & dulcedi-
nem, ut lucretur eorum corda; an homo
sibi

sibi persuadeat, quod possit melius facere
quam Deus, & scire, qualiter in regimine
se habere debeat?

XXV. Quilibet potest peccare, dum
vult, & hoc satis conforme est genio natu-
ræ. Sicut etiam valde facilis est imperare,
objurgare, vociferari, velle subditos habe-
re sine replica, sine contradictione obedi-
entes, & mox ut aliquis delinquit, in eum
ejectare zelum, fel, iram, & agere Impera-
torem. Hæc omnia addiscuntur sine Ma-
gistro, & spatio octo dierum quis hoc pot-
est facere. Verum, ad hoc ut quis corde
Apostolico supportet aliorum defectus,
ut reprimat suam iram, & sopiat primas
ebullitiones sanguinis, quas naturaliter
cor in quibusdam pravis occurribus ex-
citat, & accedit; ut quis silenter, & pla-
cidè imperet, & ignem videat extinctum,
priusquam delinquentem puniat, ad hoc
exigitur virtus virilis, cor generosum, alien-
num ab omni commodo, & quasi amore
proprio evacuatum. Ipsimet humaniores
quandoque in hoc errant, dumque non
sunt bene constituti, impatientes se se-
ostendunt velut alij; adeo quippe verum

B 5 est,

est, quod faciliter irasci, & ferventer reprehendere errantes, à nullo alio quām ab impotentia procedat. Interim verum est, quod tranquillitas, & æquanimitas sit virtus, quæ habet aliquid divini, & ut inquit Seneca, si ulla sit virtus, quæ hominem possit mutare in Deum, id efficiet clemētia, & mansuetudo.

XXVI. Ipsæmet creaturæ insensatae idem sentiunt, vel ad minus Deus per eas docet, qualiter ipse sese in hoc habeat, & quisnam sit sensus communis eorum, qui debent subesse. Quadam vice, uti gesta Jud. 9. Judicum referunt, convenerunt omnes arbores, ut eligerent Regem, qui earum curam gereret, easq; gubernaret. Primo itaque adierunt Olivam, dein ficin, & tandem vitæ, utpote tria symbola clementiæ. Verum cum repulsam passæ fuissent, coactæ sunt accedere spinam, quæ aliis suavationibus eas non excepit, quām quod iis minitata sit, ignes, quodque omnes sanas, & vivas incinerare vellet. Illi, qui vivunt sub imperio hominum, non respirant nisi ad aulam eorum benignitatis, & dulcedinis, nec aliud exoptant, quām oleum

oleum olivæ, manna ficus, nectar vitis, hoc est dulcedinem, clementiam, & amabilissimam benignitatem. Sola desperatio, & vis obedientiæ efficit, ut quis sufferat spinas Rubi totaliter cooperti fatalibus punceturis, & rigorem spinosi regiminis, à quo subditi præ tristitia, & melancholia occiduntur. Profectò generosum cor, quod Deo spontè, voluntariè, nobiliter & ex amore servit, si sibi relinquatur, patrat miracula. Quod si illud velis cogere, & violenter regere, & minari quodam rigore, toto spinoso, pleno punceturis, cruciatur, & mirè coarctatur.

XXVII. Testetur hoc id, quod evenit tempore Jeroboam. Dum populus conquereretur de Salomone, quod in suprema ætate fuisset valde asper, subditosque exactionibus pressisset, Regemque Jeroboam humiliter rogaret, benignitatem suam exerceret, & aliqualem dulcedinem aceto misceret, ut regimen paternum dulcificaret, Roboam sapientiores Aulæ, & caniora capita in regimine regni cōsuluit; ab iisque expetiit, quid supplici populo respondendū esset. Porro hi voce cōcordi cīfiaserunt,

runt, ut si feliciter regnare vellet, & corda
subditorum lucrari, responderet verbis
mellitis, & Regali dulcedine conditis; hoc
enim modo eum Regem omnium cordi-
um mundi futurum. Regi hoc consilium
non multum arrisit, ideoque Juvenes Pa-
latinos, cum quibus erat educatus, exiguo
judicio præditos, inexpertos accersit, co-
rumque mentem exploravit. Verùm hi
Regi hunc modum respondendi sugges-
serunt. Scitote mei subditi, minimum di-
gitum meæ manus esse grossiorem hu-
meris Salomonis mei Domini, & Patris.
Quod si ille vos cæcidit virgis, ego cæsi-
nibus scorpionum vos decorticabo, &
pelle exuam. Rex horum consilio ac-
quievit, & hoc modo populo respondit, &
suo responso nil aliud lucratus est, quām
quod omnes rebellarent, & Rex fugæ sibi
consilere debuerit, coronam, vitam in di-
scrimen conjecerit, & tandem vitam, ac
honorem amiserit. En effectus austeri-
tatis. Videte qualiter spina subditos gu-
bernet. Et sanè Religiosi, si à subjectio-
ne similium Prælatorum imperiosorum
graventur, nunquam amplius in tales inci-
dere

dere vellent. **Q**ilibet animo infigit beneficia à Prælato præstita, & nemo obliviscitur malorum irrogatorum.

XXVIII. Os aureum S. Joannes ad astral usque extollit quandam sententiam magni Apostoli S. Pauli 2. ad Corinth. 10. sic loquentis? Obsecro vos per mansuetudinem mei Domini & Magistri Christi. Et revera nil fuit potentius in mundo, per quod eos adjurare potuit; nam mansuetudo est Domina cordium, ejusque leges sunt adeo suaves, ut homines potius milles velint ei obedire, quam refragari. Poterat eos adjurare per millenas alias perfectiones Christi, per ejus omnipotentem potentiam, per rigorem ejus justitiae infinitae, per centum millia beneficia, quæ iis præsttit, & adhuc continuò præstat. Verum sapienter judicavit, soli clementiam ab homine nil denegari. Magne Deus, inquietab bonus Rex Israël, recordare David, ejusque mansuetudinis, qua populum gubernavit. Nil aliud quod diceret, habuit, & hæc verba suffecerunt; nam is, qui nulli denegat id, quod licite facere potest, certus est, quod nemo ei aliquid

Psalm. 131

B 7 nega-

negaturus sit, & quod omnes ab ejus nutu
pendebunt.

Tostat. XXIX. Tostatus præterea valde cele-
in lib. brat, & deprædicat hanc sententiam, dicit-
Numer cap. 12. que ipsum Deum sumere in se negotia eo-
q. 14. rum, qui ob modestiam aliquod opus exe-
& 15. cutioni mandare non posunt, ita ut quod
omnes homines totius mundi perficere
nequeunt, ipse met in propria persona per-
ficiat. Dum Aaron, & Maria suis irrisio-
nibus proscinderent Moysen, quod matri-
monium cum quadam Æthyopissa Ægypti
inivisset, Moyses tam pacatus, & tranquil-
lus fuit, ut nec verbum in sui defensionem
protulerit. Deus itaque, inquit Tostatus,
videns ejus mansuetudinem, causam Moy-
sis assumpsit, illos duos murmuratores pu-
nivit, & pro merito castigavit, ita ut Deus,
qui prohibet, ne homo vindictam ab ho-
stile repetat, dum videt aliquem abuti beni-
gnitate suorum servorum, ipse met vindic-
tam sumat. Adeo Deum concernunt eo-
rum negotia, ipseque vult facere id, quod
illi nunquam coerciti à magna ducedine,
Tostat. q. 15. & mansuetudine suorum cordium, effecis-
sent. Et quidem Textus signanter asserit
Deum

Deum fuisse iratum , nam nil adeo indignum, ipsique Deo, & Angelis insupportabile est , quām quod aliqui abutantur nimia bonitate hominum , iisque noceant, qui nulli nocere,nec ullam injuriam vindicare possunt. Hos insolentes , qui tam turpiter benignitate suorum superiorum abutuntur , Deus tandem graviter punit, uti punivit eos , qui Moysen tam male traxerunt. Ast enim petes, in quonam constiterit hæc dulcedo , cum dicatur nunquam à terra hominem mitiorem , mansuetiorem Moysè productum? Sacer Textus duas rationes hujus rei assignat, prima est, quod hic sanctus vir , dum à suis Consanguineis irrideretur , non siverit cor suum illo despectu pungi , nec cum multum jurarit , & non solùm non verbis , sed nec minima cogitatione hoc ægrè tulerit, nec aliquam rationem scire voluerit , persuasum habens, se non solùm illam irrisiōnē, sed centies peiores promerituin. Altera est, quod habens potestatem , & potens eos secundum leges castigare , non solùm illos non punierit, sed & Deum pro iis rogarit, & in hunc finem iis gratiam Dei obtinuerit.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

Ulterius probatur benignitatem excelsioriorem esse rigore.

I. **P**rincipalis causa, ob quam Deus elegit Moysen, ut plus quam duos milliones animarum in deserto regeret, fuit, quod fuerit vir dulcissimus totius mundi, & mansuetissimus omnium, qui unquam terram calcarunt; adeo verum est, quod Deus judicat mansuetudinem esse omnium mediorum optimum ad homines regendos. Addit S. Ambrosius, Judæos tenerius amasse, & honorasse Moysen ob innatam mititatem, quam miracula ab eo patrata; nam miraculum miraculorum est, omnes suos impetus coercere, ut homines imperturbabili tranquillitate regantur. Quod si credatis S. Chrysostomo, ille vobis dicet, Judæos dum videbunt suavem mansuetudinem David, qui non obstante, quod levè negotio in antro posset occidere Saul, potius maluit eum suavitationibus deimulgere, & vitam donare, quam vindictam repetere, eumque interimere, ei cœperint obedire, non velut homi-

homini, sed velut Angelo Paradisi. Nil
videtur difficile, dum Prælatus magis regit
benignitate Angeli, quam rigore, & passi-
one hominis mortalis.

II. S. Bernardus opinatur in Prælatura, Bern.
& regimine nil proficui posse fieri, nisi fiat ^{Ser. in}
in spiritu mansuetudinis, ita ut sicut juxta ^{s. in} vig.
Scripturam nemo sine fide Deo placere ^{Nat.}
potest, ita nemo sine suavitate hominibus
placere, & bene gubernare queat. Ipse-
met experimento hoc didicit ; cum enim
esset Abbas juvenis, totus fervens, & ad
partes severitatis, & rigoris declinaret, to-
tus mundus eum timuit, & fugit. Sanctus
hoc advertit, veniam rogavit, & stylum
mutans, mansuetus velut Angelus effectus
est, hacque mansuetudine adeo corda Re-
ligiosorum sibi conciliavit, ut septingen-
tos velut agniculos gubernaret ; nil eo
dulcius inveniri potuit, vocabat se eorum
matrem, subditos suos oculos, viscera, cor.
Semper fundebat lac, & manna, ita ut si
ejus suavitas voluisse componere homi-
lias, scribere libros, alio modo id non fe-
cisset, quam gloriosus Bernardus hoc fe-
cit. Totus mundus exoptat præesse talem.
qui

qui ex sua bonitate vult omnibus subesse. Is qui omnibus est in timore, totum mundum timere cogit. E contra quisquis ab omnibus tenerè amatur, non habet, qui eum, vel quem timeat, quin immò quilibet cum tenerè amat, & libentius in propria persona pati vellet, quam quod ipse patiatur. Subditi ejus iussiones præveniunt, & si ejus mentem prædivinare possent, quilibet honestus, & bonæ indolis libenter eum à labore mandandi eximeret, & omnia faceret, ut ei magis gratificaretur. Verbo, dum dulcedo præcipit, subditus magnâ voluptate afficitur, dum plus facit, quam mandatum sit.

III. Et quid aliud Deus significare voluit, dum Elisæus suum Scipionem misit, ut vitæ redderet filium Sunamitis, verum baculo nil effecit, nec effectum prætensem habuit. Ipsemet Propheta in persona ivit, mortuo puero condoluit, applicando membra membris, corpori incubuit, ei animam reinfudit, illud insigne miraculum patravit, quod semimortuam matrem præ dolore lætitia perfudit, & gaudio perfusam fermè extinxit. Et an non hic observe-

tis,

tis, inquit Petrus Damiani, quod rigor, & baculus nunquam resuscitet delinquen-
 tem, & potius vivos interimat, quām mor-
 tuos resuscitet? Quod si Elisæus, & Præ-
 latus authoritatem suam aliqualiter miti-
 get, & posito rigore condoleat, & sese at-
 temperet insirimitati subditi, qui deliquit,
 quique est velut mortuus, statim restituit
 cor pectori, eum resuscitat ad vitam ineli-
 orem, eumque suæ bonæ matri, quæ est
 perfectio, & Religio, reddet. Apostolis di-
 vulgaturis sanctum Evangelium vetitum
 fuit, ne portarent virgam, vel baculum, sed
 incederent nudipedes, & non nisi pacem,
 & benignitatem loquerentur.

Dam.
lib. de
cont.
sec. c.
28.

Luc. 10
S. Am.
bros.
lib. 7.
in Luc.

IV. Deo optimè perspecta est natura
 hominis, quodque habeat quandam pra-
 vam indolem insitam à natura, ita ut boni-
 tate maximâ mundi abusurus sit. Ast enim,
 si rigore stimuletur, multò pejora faciet,
 ideoque Deus sapienter superioribus præ-
 cipit, ut potius excedant in bonitate, quām
 austeritate, & mavult duos vel tres
 abuti indulgentiâ, quām quod unus er-
 ga omnes sit asper, & truculentus.

Et

Et cur queso ob metum , quod quinque, vel sex in una provincia abusuri sint bonitate superioris, rigor excrucendus sit erga omnes? cur ut unus modo imperioso, & absoluto intumescat, ei non humilietur; & ne quinque, vel sex capita Phantastica confundantur omnes alij indesolationem agantur? Quod si quis cognoscat hos Spiritus turbulentos omnia evertentes, eos agat in furcam, & interim aliis parcat, iisque non nocent. Nos firmiter credimus ex illis duobus millionibus, quos Moyses gubernavit, majorem partem fuisse perversam, maledicam, murmuratricem, corde obstinatam ; interim Deus voluit, ut Moyses eos gubernaret maxima suavitate mundi, eosque velut infantes in sinu portare. Et an forsan aliquis meliorem ideam regiminis possit concipere , quam habeat Deus , & habuit bonus ejus servus Moyses, qui fuit schema, & norma bonorum Superiorum?

V. Id quod maximum robur praestare nequit, mansuetudo facillimo negotio facit. Videtur quidem hoc paradoxum; sed interim est verissimum, quod mansuetudo

tudo rigore, & imperio absoluto efficacior sit. Postquam Messias advenerit, leo, bos, lupus, agnus, verbo, belluæ ferocissimæ habitabunt cum mansuetissimis, absq; eo quod in minimo se sint morsuri vel læsuri, parvulusque puer eos reget, & minabit, ac si essent agni. Leo omnia destrueret, sed Agniculus eos gubernat sine labore, & omnia sunt pacata & tranquilla. In quavis Communitate commixtæ sunt naturæ feroce, suaves cujuscunque generis. Quod si aliquis eas velit regere spiritu leonino, non habitabit inter eos Messias, ab iis exulabit pax: nam perversi magis insolecent, & bonitabescent, & dolebunt, dum videbunt agnos tractari ac si essent lupi, vel mancipia. Tam truces quam mites male contenti erunt. Quod si agnus, & mansuetudo omnes regat, perversi citò, vel tarde confundentur, & pudescient, ac emendabuntur; Boni vero excitabuntur, ut fiant meliores, & alios sufferant.

VI. Nonnulli Sancti admirantur, dum audiunt S. Joannem recensem, quod inter multitudinem innumeram Sanctorum, quos

quos conspexit in cœlo , viderit unicūm
tantum Agnum, qui omnes gubernabat,
quique Paradisum constituit. Et an mun-
dus melius possit gubernari, quām guber-
netur Paradisus? Omnia hæc ostensa sunt
S. Joanni, ut addisceret Spiritum, quo gu-
bernari debent mortales, nempe extrema
mansuetudine. Quod si aliquis forsan
eo malè titatur , dicite Deo : Domine;
cur potius, & quidem tam expresse man-
das, ut hoc modo gubernemus? Nos ita
gubernamus, quia tu ita gubernasti, tu ita
mandasti, tu hoc confirmasti miraculis,
& præcipui tui Sancti hoc modo tuos ser-
vos gubernarunt. Et profecto nullum
potest assignari regimen , in quo non po-
sint oriri aliqui defectus , & deordinatio-
nes ; sed pauciores oriuntur in imperio
dulcedinis, quam in omnibus aliis, illique
defectus facile emendantur, & nisi emen-
dentur, sunt incurvabiles illi, qui sunt culpa-
biles, & citò, vel tardè ex se ipsis fateri de-
bebunt, quod ipsis soli, & non alij sint cau-
sa eorum mali , & sæpe emendantur , &
ad frugem redeunt. Illi qui fugantur per
nimum rigorem , vix redeunt, & vivunt
vel...

velut animæ desperatæ ; nam aliqui non multum curant , quod restituantur curæ Agni ; alii timent , ne denuò incident in fauces leonis , vel lupi ; & velut minus malum eligunt peritionem , & destructi-
onem.

VII. Spiritus Sanctus scriptis nobis Eccles 32 consignavit lectionem nostram in hoc puncto, dum dixit: Posuerunt te rectorem ne extollaris ; noli extolli , sed esto quasi unus ex iis, gere eorum curam , & de iis sis sollicitus , ac postquam tuæ obligationi satisfecisti , committo te providentiaæ divinae ; nam hæc reliqua faciet ; Nec est quod tua impatientia illi præfigat tempus. Tu velles eum , qui deliquit , statim corrigi ; hic zelus foret bonus , nisi esset indiscretus. Quod si enim Deus non velit , ut modò emendetur , ipseque norit momenta , quibus disposuit , ut hoc fieret ; an non possit habere parum patientiæ , ut omnia fiant suaviter & majori fructu , quam si fierent statim , & præcipitanter ? Non potest credi , quanti æstiment Sancti hanc dulcem longanimitatē.

S. Ba-

S. Basilius luculenter pronunciat charitatem mansuetudine plenam esse sublimissimam omnium aliarum virtutum , nec per ullam aliam , quām per illam homines ma-

Chrys. gis assimilari Deo. S. Chrysostomus
Serm. 2 eam præfert virginitati, abstinentiæ, & aliis
de Ep. virtutibus adeo eminentibus , ita ut eam
ad R.o. man. & habens potius sit Angelus , quām homo.
Serm. Saul qui Davide in vivum deglutire vole-
21. & 25 bat , adeo fuit motus ejus mansuetudine ,
& benignitate , ut eum vocarit suum filiu-
um , & in ille encomiis eum afficerit . Ca-
tenæ aureæ millies melius ligant corda ,
quām catenæ ferreæ , & austerae . Magnus

Aug. Sanctus Augustinus bene & gratiōsē dixit,
Serm. mitem esse Patrem , austерum verò esse ten-
6. de tatorem suorum fratrum : *Durum Præla-*
Verb. *tum Tentatorem Subditorum puto.* Plutar-
Dom. chus optimè pronunciavit , majus donum ,
quod Di⁹ superiori largiri possunt , esse vir-
tutem mansuetudinis . Ego , inquietabat il-
lustrissimus Episcopus Genevensis , op-
nor illum esse Deum , qui peccatores in
hoc mundo amat , & supportat .

VIII. Jucundum audire est Platonem
inquietem , quod mox ut amor cœlum
egre-

egreditur, & Jupiter nil aliud facit, quām quod murmuraret, minet se lusurum fulminibus, ejaculaturum sagittas, omnes Dij tumultuentur, & Paradisus fiat quasi infernus: è contra, quādiu gubernat amor sua amabilissima tranquillitate, omnes Deos in summa tranquillitate degere, ac si diceret Paradisum descendere ad Communitatem, cuius Prælatus est benignus, & dotatus magna suavitate; è contra si rigor intret, statim solvi infernum, discordiam produci, & omnia inverti. Etrevera nil melius potest dici, quām quod inquit S. Dionysius in octava suarum Epistolarum; nam tam egregia pronunciat de Spiritu mansuetudinis, ut foret miraculum, si aliquis ea legat, nec ardens desiderium perfectam benignitatem obtinendi concipiat. Dissertè asserit Demophylo quærendum esse alium Deum, aliam religionem, aliam Ecclesiam, quām nos habemus, èo quod non exercuerit mansuetudinem, quæ est proprius Spiritus Christi, sed atrociter miserum, qui post peccatum ad eum, & ad D E U M

C

con-

confugerat, puniverit. Nos, inquit Sanctus, non solemus punire, & male tractare miseros cæcos, sed iis condolcemus, manus porrigitur, & vélut fulcrum, & baculus eos sustentamus. Non absimiliter illi, qui commiserunt aliquem defecatum, debent magna benignitate juvari, & non asperè, & quadam specie crudelitatis puniri.

IX. S. Bernardus, qui est ipsamet suæ vitæ admiratur, quod magnus Deus volens castigare suum populum delinquentem, & rebellem, prius licentiam postulare voluerit à suo bono servo Moysi, eosque ante hanc licentiam flagitata non punire. Docere voluit Spiritum mansuetudinis, quem in nostro regimine habere debemus. Volens benefacere nullius consilium exigit: volens castigare postulat tempus, judicium, licentiam. Tam illibenter castigat, & vult, ut ejus manibus extorqueatur gladius, fulmen, eique manus ligentur. An putetis, vos ei gratificari, dum verberatis, male tractatis miseram oviculam, quam vestræ curæ commisit, quam per-

per silvas , montes oberrans quæsivit , inventam propriis humeris imposuit , gaudio incomparabili ad ovile reportavit , totum Paradisum invitavit , secum lætatur , ob illam errabundam ovinulam recuperatam ? Alius Magdalenam tot enoribus sceleribus gravatam videns vivam devorasset : sed Christus maluit , vcl eam suo cordi , vel seipsum ejus cordi inviscere , nec ejus egit Judicem , sed Advocatum , & ut inquit Sanctus Bernardus : *Visceralis affectus inviserat sibi peccatricem.* Affectu cordiali illam reponit in visceribus suæ infinitæ misericordiæ . Agit velut pater filij prodigi , qui , ut inquit S. Pe- S. Petr. trus Chrysologus , filium non objurga- Chry-
sol. ter- vit , nec punivit , sed in ejus collum ir- mon. de ruit , eumque tenerè osculatus fuit : *Et filio
osculatus est eum :* non verbera , sed oscula- prodi-
go. dat pater , *sic amor vindicat.* Bonus Pa- ter videns suum filium suis pedibus ad- stratum , veniam rogantem , eum reponit in suo sinu , in suo corde , & pro suppli- cio ei osculum pacis infigit . Eminen- tissimus modus regendi , dixit quidem

C 2 vir

vir eximius, consistit in collatione beneficiorum, & non punitione ac crudelitate rigoris.

X. Ast enim verò, an non Moyses non obstante, quod esset ipsa suavitas, magnam partem populi Dei interfecit, & valde laudavit eos, qui manus suas sanguine proximorum purpurarant, stragem grandem, & apparenter crudelissimam ediderunt? Respondeo me non velle, quod mansuetudo debeat ad omnia delicta connivere, omnia indulgere; nam hoc esset scelus nimis enorme, & injustitia nimis magna contra Deum, & proximum, sed Prælatos imitari debere Moysen, qui ex una parte sese obtulit morti priis, nec permisit, ut Deus eos occideret: immò ex nimio amore, quo ferebatur erga illos, seipsum pro iis sacrificare voluit; ex altera parte, dum castiganda erant delicta, tanta fecit, ut quidem vitia fuerint extirpata, & occisa sed tamen quantum fuit possibile, studuit salvare animas, vel ad minus ita moderari suam iram, ut non posset se vindicare, nisi brachio man-

sue-

suetudinis, & sagittâ aureâ amoris paterni. Similiter dum Christus quadam die bille inflammaretur, contexuit flagellum ex funibus, & cœpit minari omnibus illis, qui templo abutebantur, illudque prophanabant. Videbatur omnia velle invertere; interim nullum cæcidit, nec vel articulo digiti, vel virgæ aliquem tetigisse legitur.

XI. Plures Sancti insigni ponderatione perpendunt legem veterem fuisse legem rigoris, quæ nil aliud loquebatur, quam mortes, fulmina, Deum exercituum. Et quid his omnibus profecit? fugavit totum mundum, ita ut nullus Deo servire voluerit, potius volebant loqui Moysi, quam Deo. In novo Testamento Verbum incarnatum vocatur Angelus, dicitque Christum pro solis miseris peccatoribus venisse. In nova lege Christus prædicat suam mansuetudinem, bonitatem, & verbo nulli unquam aliquid denegavit. Magdalenum, Zacchæum, Matthæū, & alios perversiores benevolè complexus est ipsisque Dæmonibus flagitan-

C 3 tibus

tibus ingressum in porcos induxit. Et hoc adeo verum est, ut fermè dixerim eum per hanc solam benignitatem corda totius mundi ad se traxisse. Ipsimet Judæi hoc verissimum judicarunt: nam idcirco eum occidere voluerunt. An non videtis, inquietat, quod totus mundus ei adhæreat? Nisi oculos aperiamus, actum est de synagoga, omnes eam deferent; voluerunt eum eligere Regem, & jam Rex esset, si voluisset. Populus, exercitus, eum sequuntur usque ad deserta, nemo sicut ipse unquam locutus est, rapit corda omnium Auditorum. Videte quæso magnam diversitatem. Deus in regimine se exhibet austrius, totus mundus eum fugit; è contra dum se exhibet mitem, ab omnibus adoratur. Et an non ergo ille sit insensatus, qui sibi persuadeat, se id posse facere, quod Deus facere non potuit, & se melius scire modum gubernandi homines, quam sciat ipsem et Deus, qui omnes creavit, quique omnia abscondita cordis humani novit?

XII. S. Abbas Clarevallensis nutritus lacte Sanctissimæ Virginis, & Filius ipsius dul-

dulcedinis explicans illa verba Canticorū: Cant. 1.
Meliora sunt ubera tua vino, & suaviora, ac
fragrantiora omnibus aromatibus mundi,
dicit, per vinum denotari rigorem, qui
multos bonos habet effectus; per lac verò
benignitatem omnibus summè gratam,
& acceptam. Quisquis vult sponsari
Agno, debet esse ovis valde placida, &
mansueta. Quisquis vult regere, debet
habere ubera turgida compassione, & li-
beralitate, & paucissimum vinum rigoris,
& asperitatis: *Bibi vinum & lac meum,* Cant. 5a
inquit Sponsus. Subintrathic S. Bernar-
dus, & inquit: Mi chare amice, satiùs
bibisses solum lac purum, & quidem ad-
huc melius fecisses, si absque mixtione
bibisses lac mellitum dulcedine Paradisi.
Fateor, quod vinum & austertas produ-
cant bonos effectus, quodque utiliter laeti
misceatur vinum, sed debet misceri pau-
xillum, raro, & cum magnâ cautela. Vi-
num confestim inflamat, immutat ratio-
nem, turbat imaginativam, hominem
reddit ignitum. Verum lac nutrit cor,
dulcificat acrimoniam naturæ, os red-

C 4

dit

dit tam suave, ut verba, quæ prodeunt ex corde, & ore respersis lacte mansuetudinis, nunquam lacerent corda, nec immutent affectus illorum, qui tibi subsunt. Quadam vice S. Job dixit: O mi Deus, valde desidero rursus videre illos dies, quibus meos pedes lavi butyro, & lacte, quibus ipsæmet petræ mihi propinarunt balsamum, & fontes purissimum oleum. Nil est potentius eo, qui lavat pedes suorum affectuum in balsamo, & animam suam immergit balneo lactis, & dulcedenis; nam disponit de hominibus, prout vult, exarmat omnes potestates inferni, encrat passiones validiores, quæ omnia inverttere solent. Spiritus violentus, inquit David, nimia impetuositas eorum, qui nimis austè degunt, conterit naves Tharsis, & conquassat capita fortiorum, & generosiorum.

XIII. Nil adeo Sanctos celebres, & eximia sanctitate conspicuos deformat, & diffamat, quam si quandoque impatiētiā acti, aliquid verbum austерum, & durum effutiat; Ipsimet statim sentiunt quandam amaritudinem, & dolorem tam

tam acutum, ut cor transfigat. Asseverares Sanctum irâ percitum non posse esse Sanctum, quamdiu fœditas illius humoris durat, & cor inficit. S. Propheta Elisæus bile inflammabatur, dumque rogaretur, ut aliquod opus bonum præstaret, putavit durante illa passione, vigente illa alteratione, se nil profici facere posse. Quies ejus cordis, & ordinariæ tranquillitatis hoc non permittebat. Hinc accersiri curavit quendam Citharœdum, aut pulsatorem alicujus instrumenti Musici, dumque suavem concentum illius harmoniæ audiret, subito inquit sacer Textus, sopita est illa exigua tempestas, quam zelus fuscitarat in ejus corde, & solitâ tranquillitate reversâ statim Spiritus Sanctus se ejus cordi infudit, & miracula patrare cœpit. Ne credas, quod Spiritus tetricus, cor inflatum, commotum ab aliqua passione, quam zelum vocat: quamdiu illa commotio, illa ebullitio sanguinis durat, aliquid boni præstare possit. Spiritus prius debent pacari, & pristinæ tranquillitati restitui. Audienda est harmonia tranquillitatis; omnia respurgenda

C 5

sunt

sunt dulci rore mansuetudinis ; nam si totus Spiritus huic dulcedini immersus sit, certus quis esse potest , quod omnia non sine gusto Dei , Angelorum, hominum facturis sit. Hæc tranquillitas est illa cithara David, quæ sua dulcedine, sua suavitate , fugat Dæmonem odij , & iræ, quæ Saul cruciat.

XIV. Nunquam finirem, si illuc ducrem hunc Discursum, quò pervenire potest. Hinc concludere volo potentissimâ sententiâ, quam Spiritus Sanctus docet in

Eccles. 3.

Sac. Scriptura. Et quomodo homo fovens iram, & nutriendis in sinu suo odium erga proximum, possit ire ad Deum, ut misericordiam impetreret ? Ille , qui nil aliud est, quam frustum carnis , qui non vult ignoscere illi, qui est caro sicut ipse ; quomodo vult, quod Deus, qui est totus bonus, ei sit mansuetus , & benignus ? Cur se ipsum velut ideam non præfigit ? Quod si velit, Deus gubernet eum summa bonitate ; quomodo est tam temerarius , ut suos subditos regat in asperitate , & austerritate ? Cum Deo velit præfigere regulam regendi , . & eam ab eo non accipere, cur non

non facit sicut Deus, qui animas ad se trahit funibus Adami, & charitatis, & non ferro, & catenis mancipiorum? Hanc legem dabat Guardianis suæ Religionis Seraphicus Franciscus, iis inculcans, ita regerent suos fratres, sicut vellent à suis Superioribus regi. Quam enim non sit detestandum, quod aliquis sibi velit superiorem, qui sit ipsa dulcedo, erga subditos autem sit rigidus, ac si esset spinosus carduus? Verum, justo judicio Dei saepe evenit, ut illi, qui fuerunt asperi erga suos subditos, incident in manus alterius, qui eos tractat, sicut decet, & eo modo, quo alios tractarunt. Dum uti legimus in libro Iudicum, Adonibezech fuisset captus, eique articuli manuum, & pedum præcisi, videns se ad tantam miseriariam redactum, altum suspirium trahens, dixit: eheu! Septuaginta Reges, quibus articulos manuum, & pedum præcidi, serviebant sub mea mensa, & se felices reputabant, quod micas incidentes colligere, & rodere possent, & ego ad hunc plorandum statum redactus sum; justissimus est Deus, qui talionem mihi rependit. Discite itaque à me mortales,

tales, quod eâdem mensurâ, quâ mensi
fueritis, vobis remetietur. Profectò ora-
culum cœleste hic miser, & infelix pro-
nunciavit, experientiaque eum effecit sen-
satum, quem prosperitas antea stultum, &
truculentum reddiderat.

CAPUT TERTIUM.

*Quomodo dignoscatur superior auste-
rus, & rigidus?*

Cæcitas deploranda est, etiam homi-
nis sagacioris, quod tam exiguum
notitiam habeat sui ipsius, ut ille quem to-
tus mundus fugillat ut nimis rigidum, per-
suasum sibi faciat, quod sit ipsa dulcedo.
Quod si ei dicas, eum esse omnibus invi-
sum, ejusque regimen insupportabile, to-
tum mundum accusabit temeritatis prote-
stans se non esse notum, seque habere o-
ptimam intentionem, & cor suavitate re-
fertum. Sed enim, hoc est grandis illusio, &
deception tota misera. Nunquam alleganda
est intentio, nec adferenda pro satisfactio-
ne, sed præhabenda est, & præsupponen-
da. Et quidem in hac materia nec pili est
æstimanda, cum ad nil deferviat. Ex exte-
rio-

rioribus judicamus, & non ex iis, quæ non videntur. Quilibet afferit se habere bonam intentionem, si foris sese prodat, ei fides adhibetur, aliàs non. Ostendenda est verbis, actibus exterioribus, bonis affectibus; nam hæc tantum sunt vera testimonia bonæ intentionis, & boni cordis. Viden ergo signa regiminis asperi, & rigore pleni.

I. Prælatus itaque austerus dignoscitur ex verbis asperis, siccis, ingratis, nimis præcocibus, brevibus, ex discursibus, qui non habent aliud exordium, quām negativam responcionem, & repulsam.

II. Ex oculo feroci, qui videtur velle omnes illos devorare, qui eum humiliter, & quasi tremendo alloqvuntur.

III. Ex accentu elato, imperioso, nimis absoluto, ita ut eum diceres Vespaſianum.

IV. Ex visu, ex moribus, qui habent neſcio quam audaciam, & arrogantiam, ita ut jurares eum esse Payoneim, qui ſe in gyrum distendit, ut miseras columbas tranſeuntē terrefaciat. Potest quidem id ei eſſe naturale, ſed fateri debemus, hanc indolem naturalem eſſe pravam, adeoq; tempeſtandam; nam aliàs moleſtiam, & tædium creabit.

C 7

V. Ex

V. Ex responsione negativa, antequam audiat quid petatur, & repulsione torva, & turpi subditorum.

VI. Et sanè sufficeret sola denegatio illius, quod petitur, immò hæc nimia foret, sed additio verborum asperorum, modus rigidus, ingratus conglaciat cor miseri subditi, qui potius mallet quodvis pati, quam aliquid petere ab homine tam tetrico, qui videtur carduus spinosus, qui semper lacerat, semperque carnem & pellem aufert.

VII. Præterea austерitas Prælati ex eo dignoscitur, quod postulata illubenter concedat, ita ut subdito nulla fiat gratia, nec maneat obligatus, quin potius esset contentus repulsâ gratiosâ, & coimi, quam gratiâ tam illubenter concessâ.

VIII. Quod postulata nimis citò, nimis impatienter resolvat, absque ulla morâ, consilio, subditos ad primum verbum dimittat, eos condemnnet, absque eo quod velit audire unam replicam.

IX. Ex eo quod communiter utatur verbis imperiosis, puta : ego sic mando ; ego sic volo ; hoc fieri debet, hoc præcipio in virtute sanctæ obedientiæ ; ubi est obe-

obedientia? an non sum superior? Apa-
ge, nec verbum amplius de his loquere: si
non facias, quæ tibi dico, cogeris ad illa
facienda; jam dudum notus est tuus mo-
dus agendi, mortificate, & jussa capesse.
Hi & similes termini sunt signa Prælati
austeri, asperi & dominativi, cujus caput
adeo turget Prælaturâ, ut non recordetur
se esse Patrem, fratrem, servum, immò est
pejor illo misero subdito, cui loquitur,
ac si esset Imperator, vel supremus Mo-
narcha.

X. Et sanè quidam animi debiles, & in-
firmi uno mense plura similium verborum
proferent, quàm faciat superior magnan-
imis spatio quinquaginta annorum.
Sunt plures, qui toto tempore vitæ nec
semel dixerunt: inando hoc tibi in virtu-
te sanctæ obedientiæ; interim aliquis vi-
lis, stupidus, vento plenus, decies hoc fa-
ciet in die, & quidem ob lanam caprinam,
quod valde turpe est. Et sanè melius fa-
ceret, si præciperet in virtute sanctæ cha-
ritatis, & mansuetudinis; nam unus
modus obdurat, & obfirmat corda, alter
verò illa potenter lucratur.

XI. Præ-

XI. Præterea austeritas Prælati dignoscitur ex eo, quod credat falsis relationibus, personis suspiciosis, quæ jugiter augent ea, quæ observarunt in aliis, absque eo quod sua dicta probent, adeo ut ad primam relationem dent pœnitentias, dent capitula, valde acria, & mordacia. Et in hoc committuntur duo errores; nam primò miser accusatus, inauditus condemnatur; secundò, superior sape decipitur, & successu temporis in cognitionem veritatis venit, & videt se innocentem punivisse, & absque culpa pœnitentiam imposuisse, verbaque indigna virtute Superioris, qui debet esse Judex, ut audiat utramque partem, & Pater, qui magnam clementiam, & mansuetudinem exerceat, effutivisse.

XII. Magnus, & crassus defectus est, increpare subditos ob rem nullius momenti, & verbis asperis, visu turbato, modo valde immani, ex musca facere Elephantem, ita ut miser subditus, qui coram Deo ne quidem veniale pec-

ca-

catum patravit, tractetur, ac si abominandum commisisset sacrilegium.

XIII. Esse nimis præcipitem, & impotentem in objurgando, est magna infirmitas; Crassa est stoliditas sub prætextu zeli, nec minimam rem mundi sufferre, vix videt Prælatus minimum jocum, minimas nugas, & fit totus ignis. Nil pejus est quam suam auctoritatem impendere in rem nullius momenti. Et revera cum possis aliquid emendare unico verbo, immo forsan absque ullo verbo; cur tantum excites tumultum? Hoc videtur esse magna impotentia, & signum, quod Prælatus nil concoquere possit instar hominis, qui habeat adeo debilem stomachum, ut si comedat, omnem cibum egerat. Et haec est causa, cur totus mundus te fugiat, quia videt tuos oculos, tuam linguam eadem rotâ moveri, adeo ut si oculus aliquid, quod displicet, videat, illico lingua solvatur, sua tela ejaculetur, & saepius plus quam oportet, acerbior sit. An ergo amiseris omnem longanimitatem?

An

An habēas tam exiguam patientiam, ut nihil sufferre possis?

XIV. Nunquam deberet reprehendi unius tantum defectus, maximè dum adhuc durat, & sanguis bullit, quia delinquentis necdum capax est correptionis, seseque forsitan defendet, & tam ferventer respondebit, ut te etiam inflammet, adeoque tu, cuius sanguis profilit ad cor, & caput, qui que imaginaris te despici, pauca efficias, quæ faciant ad propositum; subito punges, debebis disputare, tuam autoritatem, reputationem impendere, adeo ut forsitan magis peccatus sis in objurgando subdito, quam ille delinquat in defendendo suo defectu. Da ei tempus, ut possit agnoscere suum errorem, & ut tu melius, & absque indignatione possis satisfacere tuo debito. Defectu hujus millenni quotidie committuntur defectus, & quod pejus est, dum omnia destruuntur, Prælatus putat, quod bene faciat.

XV. Magna haud virtus est, faciles præbere aures defectibus, difficile est eas prætere virtutibus; contrarium enim fieri

fieri deberet, quale enim cor possit habere subditus, qualem amorem, qualem fiduciam, si videat, quod tam sinistram opinionem de eo habeas, quod facillimè fidem præbcas ejus defectibus, exiguum autem, vel nullum ejus virtutibus, rationibus, innocentiae?

XVI. Semper esse immanem, torvum, tetricum, nil aliud inculcare, quam quod subditus debeat se mortificare, obedire, quod unus sit nimium delicatus, alter nimium obstinatus, & inflexibilis; quod subditus non sit deditus virtutibus; hi & similes discursus sunt signa Superioris austeri, qui non habet cor, aut viscera; vel si illa habeat, sunt ferrea, inflexibilia, ita ut nec nomen viscerum mereantur.

XVII. Robusti & validæ complexionis, nunquam, vel quasi nunquam, male habent, aut aliquo morbo infestantur. E contra illi, qui temperamentum habent biliosum, calidum, melancholicum, sunt valde crudi, præcipites, ita ut dum quasi nesciunt, quid sit defectus, faciliter alios condemnent; & cor adeo habent dum,

rum, ut compassio nullam invasionem facere possit. Et quidem hunc suum defecatum palliant nomine constantiae Spiritus, & generositate animi, dicuntque se esse imperturbabiles, plenos zelo, quodque absolutè & exactè velint observari regulam, & rident, dum allegatur illud Proverbiū : *summum jus, summa injuria, quodq; justitia nimis severa sit potius rigor, quam justitia.*

XVIII. Dum semel aliquid jubent, si-
ve placeat, sive non placeat, adimplendum
est. Nec hic dico rem bonam esse faci-
liter mutare bona proposita, sed solum as-
sero, quod Prælatus non debeat esse infle-
xibilis, obstinatus, inexorabilis. Ad mi-
nus subditus hoc exiguō solatio recrean-
dus est, ut ejus rationes audiantur, & per-
pendantur; nam si contingat, uti contin-
gere potest, quod contemnatur, & parūm
æstimetur illicò sumit ansam condemnen-
di regimen, & existimandi, quod subditi
non audiantur, cor obfirmat, nec conatur
suum judicium, & murmurationes inter-
nas cordis coercere. Et revera quale
sit piaculum auscultare, & dare hoc sola-
tium

tium subdito, qui erit vegetus, & sanus, cum totum suum cor effudit, & exiguum flatum in aëre puro, & sincero paternæ charitatis Superioris hauserit?

XIX. Et quidem nemo inficias ire austri subditos valde importunos, molestos, capitosos, temerarios, parùm mortificatos, discolos, querulos fallaces, obstinatos, immò pejores; nemo inquam hoc negare potest, quia semper tales fuerunt, & in futuro tales erunt. Et quamvis erga tales aliquis rigor adhibendus sit, attamen hic temperandus est prudentiâ, & efficacia. Verùm, eccur illi, qui sunt Agni & Angeli, quique possunt corrigi unico verbo, debeant probare tuum rigorem? Et cur assuescis huic aëri pravo, quem haussisti, huicque pravo mori omnes eodem modo gubernandi? Fac uti Christus faciet in extremo iudicio, separa hœdos ab ovibus, sis rigidus ubi oportet, dulcis, ubi res ita exigit, ne dicatur, te erga omnes æquè asperum esse.

XX. Rigor maximus totius mundi, & minime

nimè tolerandus est illorum, qui voluntà subditis exactissimè minimain servari regulam, altissimum servari silentium, submissa, & non alta voce verba proferri, cum tamen ipsi nihil horum, vel valde pauca observent. Eorum fervor versatur tantum circa alios. Aliis non sunt nisi rigor, sibi ipsis mera indulgentia, & ita omnia inverso modo faciunt, & adversantur stylo Sanctorum, qui tantum sunt rigidi, austeri erga seipso, omnemque dulcedinem effundunt in miseros subditos, & bonos filios, quos tenerè amant.

XXI. Res ridicula est, quod juvenis, qui vix fuit superior per quindecim dies, fulminet ac si foret Generalis, vel in regmine annosus. Ut ostendat se esse superiorem, omnia revocat, quæ ejus Antecessor ordinavit, & autumat se majorem authoritatem, reputationem acquisitum, dum aliorum authoritatem deprimit. Hoc est signum animi valde debilis, & vento referti. Nec mirari debemus, si ab animo vento referto non oriatur nisi ventus, & sidus adeo frigidum, quod conglaciat corda eorum, quos tanto im-

imperio alloquitur. Porrò hęc autho-
ritas sensim deficit, & experientia do-
cet, quod subditi, & inferiores majori fru-
ctu regantur, quando æstimantur, & Præ-
latus eos se sanctiores, & meliores judicat.
Animi debiles superiorum ob magnam
impotentiam facilius labuntur in hos de-
fectus. Verum enim verò, hic acer hu-
mor melius corrigetur, si videamus signa
eorum, qui regunt Spiritu mansuetudinis,
& cordium reges sunt.

CAPUT QUARTUM.

*Ostenduntur signa regiminis dulcis, &
qualiter aliquis se habere debeat.*

Dotatus magna mansuetudine in suo
regimine est Rex hominum & cor-
dium. Ut quis bene imperet aliis, sibi
ipsi bene imperare debet. Tu, qui tuis af-
fectibus, tuæ impatientiae imperare ne-
quis, desipis, si putas te aliis imperare pos-
se. Quilibet se putat habere hoc talen-
tum, & stulte existimat se sufficientem ha-
bere mansuetudinem. Et hoc possumus
dicere

dicere absque scrupulo , cum verissimum sit , valdè paucos tam felices esse, ut ad apicem hujus perfectionis attingant.. En ergo nonnulla signa , quæ Sancti suâ experientiâ me docuerunt.

I. Sapientissimus Salomon dicit, Deum præcepta suis servis dare cum maxima attentione, reverentia, respectu. Ita expressè Spiritus Sanctus Salomoni retulit. Quod si Deus , qui in homines habet supremum, & absolutum imperium, judicet hos spiritus tam volaticos , & impotentes melius regi respectu, quam imperio : quomodo homo vas luteum audeat alios potius regere verbis, & iussionibus, & sperare , quod per hunc ferocem rigorem, & summam severitatem , aliquem fructum obtinere possit ?

II. Nostri Angeli Custodes , & nostri dulcissimi Gubernatores possent quidem si vellet uti sua authoritate, suas adhibere vires , nostros sistere gressus eos fortiter comprimendo ; sed tamen hi divini Spiritus nos aura cœlesti regunt. Dulciter inspirant id quod volunt, & tam amoroſè nostris cordibus suas iussiones instil-

instilant, ut hac dulcedine incomparabili, lis chatenis aureis ducant quò velint. Raphaël dicebat juniori Tobiae: charissime frater, en tibi placeat, ut hoc, vel illud faciamus? Poterat eum fortiter trahere, aut violenter trudere, ac dicere. Vade illuc, quia Deus sic vult, & cave, ne resistas: festina, nam si non vadás, ulterius ire debabis. Hæc verba sunt incognita cœlo; hic ffylus non est Angelorum.

III. Incomparabili gaudio observavit stylum S. Gregorii Magni; Hic cum esset summus Pontifex, poterat, si voluisset, tonare, & evibrare fulmina excommunicationis, & censurarum; Verum sanctus vir alium modum adhibuit, & quandoque dicebat; si ita placeat suæ clementiæ; quandoque vestra bonitas gratauerit excipiat, quæ dicturus sum; certus sum vestræ benignitatis judicio hoc non esse faciendum; meo sensu nostro Deo valde gratum erit, si vestra clementia hoc vel illud caveat. Hic sanctus itaque vir non effundebat tempestates & fulmina in capita hominum, sed torquentes melius, & absque eo quod vel unu cantum hisceret, aut mini-

D

mum

Idea boni Regiminis
mum signum displicentia ostenderet, ob-
tinebat, quod volebat.

IV. S. Bernardus in primis ebullitionibus suorum servorum fuit aliquatenus rigidus, & austerus erga suos Monachos, qui eum timebant velut pestem. Bonus Sanctus successu temporis advertit, illum non esse modum conciliandi corda, & mutandi suum Monasterium Clarævallen-se in Paradisum terrestrem, refertum Angelis, & Seraphinis, sed potius in Purgatorium animarum, quæ cruciantur. Et hinc humiliter à suis bonis fratribus veniam petiit, & faciem ita mutavit, ut ipsa dulcedo fuerit effectus, & Clarævallis mutata fuerit in Paradisum, ita ut Monachi, ac si essent Angeli, ad minimum nutum sui Abbatis non amplius incederent, sed volarent. Porro illius primum principium fuit, quod ad regendos, & gubernandos alios potius necessariæ sint preces, quam imperiosæ jussiones: *Orando magis, & obsecrando, quam imperando, impetrat magis quam &c.*

V. Et quis non rapiatur audiens S. Paulum, qui non obstante quod haberet tan-

tantam potestatem , usus est verbis tam suavibus,tam amoroſis, ut nullum ſit cor, quod non emolliatur. Pro eo quod dice-ret: ego tibi præcipio ex parte Dei ; ego hoc mando in virtute ſanctæ obedientiæ ; hoc jubeo ſub pœna excommunicationis, vel ſimilibus verbis, quibus uti poterat, ſi voluifcret, ſic loquebatur , & potius roga-bat, quam mandabat : Obſecro te Timo-thi , per amorem , quo me proſequeris; adjuro te per viſcera Christi Iesu, te rogo per manſuetudinem Salvatoris ; ſi me ames, quamvis nil pro te fecerim in no-mine Dei, hoc , vel illud, quod multum conſert ad ſervitium Christi noſtri Domini facias.

VI. Et quid hic dicent nonnulli Præla-ti , qui tam audacter , tam auctoritativè mandant Senioribus, provectiorib[us], ma-gis meritis, ac ſi eſſent Novitii? Quid di-cent, dum vident S. Petrum habentem cla-ves vitæ, & mortis , pro eo quod imperet, amarē flentē, & jugiter plures lachrymas, quām verba, & iuſſiones fundentem ? An aliquis ſit adeo barbarus, inhumanus , qui audeat aliquid negare illi, qui ſe poſita ne-cessitate jubendi adhibet lachrymas?

D 2

VII.

VII. S. Petrus & S. Paulus fundunt aquam dulcedinis, & lachrymarum. S. Joannes fit ignis in cordibus eorum, quibus imperat. Filii mei charissimi, si ametis Jēsum, hoc facite. Amate tenerè vos invicem, & hoc sufficit. Amor vobis dicet, quid facere debeatis, quia quod me concernit, nullum habeo mandatum, quod vobis imponam. Christus vult, ut hoc fiat, nec aliud vobis dicere possum. O Deus! Utinam cernere liceret, quomodo beatissima Virgo mandarit S. Joanni suo Filio, & S. Joannes Virgini, quem ejus curæ commiserat, nam modum insignem gubernandi videremus.

VIII. Rem melius illastremus. Et quomodo gubernata fuit illa divina familia, in qua vivebant Jesus, Maria & S. Joseph? Quis iussiones dedit? An Christus Jesus? Non, quia erat filius, qui obediebat Patri, & matri. Quis ergo? An nostra Domina? Non, quia erat sponsa, & subdita S. Joseph. Porro, ut verbo absolvam, quem putatis imperasse? An S. Joseph? sed an dicitis, quod ille Sanctus non fuerit veritus mandare Deo, & Reginæ Angelorum?

Quis

Quis ergo imperavit illi familiæ ? An omnes, vel nullus ? In illa familia nullum unquam fuit visum mandatum; nam mandata præveniebant, & potius rogabant, quam mandabant. Nunquam visa fuit talis familia, in qua quilibet obtemperat absque iussionibus, in qua quilibet mandat id, quod fieri debet, in qua prius ad executionem proceditur, quam ad iussionem, in qua exemplum subit vices præcepti. Rem profectò miram. Nullus loquitur, & omnes faciunt quæ debent. Nullus mandat, & omnes exactè obedient. Et quale sit illud imperium, in quo constat plus imperare, quam facere, in quo quilibet quidem est Dominus, sed magis tamen servus, quam Dominus, in quo sola regit modestia ?

IX. S. Abbas Poppo iussiones dabat suis Monachis tantâ suavitate, vultu tam sereno, verbis tam paternis, ut nil ei fuerit denegatum. Animus contrariæ opinionis ei objecit, quod nimia sua suavitate omnia destrueret, disciplinam religiosam relaxaret, & aliquos forsitan damnandos, sed mitissimus Abbas respondit. O quam felix

D ; foret

foret Poppe , si tantum ob nimiam clementiam damnaretur : & addebat : charissime frater , quomodo vis imperem subditis melioribus me? Cui liberter , prompte , exacte mea mandata executioni mandent , cur adhibeam rigorem , nisi ut me venditem Tyrannum monasterii ?

X. Anachoretæ communiter vocabant S. Macharium Deum Monachorum , nam adeo subjectos habebat animos omnium Religiosorum , ut plura fecerint , quam mandarit ; adeo enim verum est , quod eius benignitas omnia corda subditorum rapsuerit . Amantissimi fratres , inquietabat , facite id , quod me videtis facere : nil mandabo , quod prius non egerim : si iussa adimplere non possitis , manete in cella , ego pro vobis illa adimplebo ; bono sitis animo , ego pro vobis Christo respondebo , quia optimè scio mei amantissimi fratres , quod si possetis , libentissimè obediretis . Optimè ; an commisistis aliquem defecatum ? Id ego non crediderim . Et dato quod aliquem commiseritis , eheu ! an ego forsitan maiores non committam ? Mihi frater , vel ego , vel tu hoc facere debemus , fac ergo , quod lubet .

XI. S.

XI. S. Franciscus nullum Superiorem sibi parem habuit: quainvis enim fuerit Generalis sui Ordinis; attamen vix aliquid ulli unquam legitur mandasse. Hic Sanctus vir dicere solebat: Charissimi fratres, si Christo, & mihi bene velitis, rogo vos, hoc faciatis. Porrò illi pauperes Religiosi se se exenterabant, ut desideriis ejus satisfacerent. Non præcipiebat iis medietatem eorum, quæ faciebant. Interim subditi nihil sibi videbantur facere, & judicabant mitius agi, ut labori subducerentur. Guardianis interrogantibus qualiter bene regere possent, respondebat: Charissimi imitemini Iesum Christum: Si aliquis peccavit, dicite ne amplius peccet, quodque libenter ei ignoscatis, & curam habituri sitis, ut proficiat, & deinceps cautior sit. Quod si aliquis deliquerit, dicite, quod etiam sæpius delinquatis, & nisi Deus vos præservaret, majores, & enormiores defecetus committeretis. Porrò dum ei objiceretur, quod esset nimis dulcis, sanctus vir, ut alias dixi, verbum quoddam protulit, quod videtur paradoxum: Volo, inquietabat, esse pater non carnifex: nec possum odio habere delinquentem, sed ipsum delictum.

D 4 XII.

XII. Moyses, qui erat idea boni regiminis, quadam die amorosè Deo conque-
rebatur dicens: Domine, tu mihi præci-
pis, portem hunc populum in meo sinu, ac
si esset infans valde tenellus, vel innocens
Agnus; sed cheu! recorderis mihi subesse
plus, quam duos milliones, gentem maxi-
mè rebellem, animos obstinatores totius
mundi. Doce me itaque modum, qualiter
omnes in sinu, & in parte teneriori mei
corporis portare possim. Verùm his non
obstantibus, Deus nec in minimo mutavit
suum primum præceptum, voluitq; ut lo-
queretur illis barbaris, ac matres alloqui
solent tenellum infantem, quem sinu fo-
vent. Et an ille rectè ageret, qui verbis
asperis, qui tonando, qui minis furiosis,
qui atrocibus verberibus exciperet tenel-
lum infantem, quem sinu gestat. Volo, in-
quiebat Deus Moysi, hac formâ meum
populum à te regi, eumque benignitate
patris in officio contineri, & adigi, ut suæ
obligationi satisfaciat. O Deus! & qualis
non sit confusio, quod aliquis, qui habet
duos vel tres subditos, intra viginti qua-
tuor horas magis vociferetur, quam Moy-
ses

ses vociferatus fuerit spatio quadraginta annorum? Certissimum est ad austera-tem, exiguum, vel quasi nullam virtutem exigi: ad hoc autem ut quis in Spiritu man- fuetudinis regat, esse necessarium num- rum omnium eminentium virtutum.

XIII. Vultisne scire, quodnam sit si- gnum regiminis efficaciter dulcis? Quan- do Prælatus sibi capit pejora, & meliora, ac dulciora relinquit subditis; quando imitatur S. Franciscum Xaveriu, qui pec- cantibus pro pœnitentia injungebat ora- tionem Dominicam, & pro iis flagris us- que ad sanguinem se cædebat; quando in- sistit vestigiis illius magniservi Dei, qui Provincialis electus per terram serpendo officium suum incipiebat ab osculo ma- nuum seniorum domus: ita ut omnes sub- diti in lachrymas resloverentur, & ad mi- nimum nutum mandatorum ejus vola- rent. Sed quid dico mandata? Cum hic vir sanctus quidem rogarit, sed nunquam mandarit? Quamdiu vixit, quantum scire licet, nunquam mandatum in virtute san-ctæ obedientiæ ex ore ejus prodiit.

XIV. S. Carolus Borromæus quamdiu

D s dira

dira pestis s̄æviebat , nil aliud faciebat , quām quod sacerdotes induceret , ut peste correptis servirent . Mandare erat res plena periculis , deserere illum populum afflictum , erat magna crudelitas . His ergo verbis eos affari cœpit : Filioli , qui mihi bene vult , me sequatur ; hisque dictis Eminentissimus Cardinalis in ædibus pestiferorum velut mortuus ante infirmos se prostravit , & ipsam mortem in admirationem rapuit . Totus mundus post cum cucurrit , & Angeli turmatim illam benedictam sequebantur . Nunquam fuit visa talis obedientia . Hic Magnes cœli , qui potius faciebat , quam mandabat , dulcibus influxibus suæ charitatis ferrum cordium obstinatorum attrahebat .

XV. Ille alter S. Carolus Genevensis in sua Diœcesi , in sua familia , immò ubique , fuit ille , quem S. Joannes conspexit in sua Apocalypsi , dum vidit in međio innumeræ multitudinis sedentem Agnum , qui omnia facilitate Deo propria regebat . Hic Prælatus aureus , hic Agnus totus dulcedo velut Seraphim omnes sibi obsequentes habuit . Nil unquam

quam negavit, nil ulli mandavit, & vice versa nemo ei ausus fuit unquam aliquid negare, vel aliquid ab eo petere, nisi cum tanto respectu, ut esset stupor illius sæculi. Suam Diœcesin absque ulla difficultate gubernavit, tempus habuit conscribendi suos libros totos aureos, & melleos; fundabat Religiones, alios reformabat, mille personis scribebat, quotidie bis prædicabat, loquebatur, aures præbebat toti mundo, & quidem tantâ facilitate, ac si nulla negotia haberet. Adeo verum est, quod ejus benignitas fuerit Domina omnium cordium mundi.

XVI. Interrogate S. Ignatium, & petite, quidnam exigatur, ut quis habeat dominum regiminis efficaciter suavis: dicetque nil aliud exigi, quam ut quis imitetur charitatem Christi Jesu, ejus mansuetudinem, ejus modum regendi. Christus erat Agnus, non regebat in star leonis, sed Agni. Postquam S. Joannes quadam die eum in cœlo in forma leonis conspexit, statim eum vidit mutatum in Agnum, ac si forma leonis ei insupportabilis esset. Toto tempore vita non nisi semel fuit visus

D 5 inatus,

iratus, & quodam zelo, qui videbatur exiguus vapor iræ, percitus: tuncque flagellum ex quibusdam funiculis contexuit, ut è Templo omnes prophanatores ejiceret. Et quamvis nullum legatur percussisse; attamen omnes fugerunt, & ut inquit S. Hieronymus, illa exigua ira armata flagro trium funicularum majorem terrorēm incussum toti Hierosolymæ, quām ei incusserint omnes machinæ Titi, & Vespasiani. In his clarissimè liquet, dulcedinem cuim aliquali zelo amore pleno omnia posse in Spiritus, qui aliquid humani habent.

XVII. Quod si clariūs intueri velitis leges imperii Jesu Christi, videte instructiones, quas dat suo Vicario; In toto Decalogo sui regiminis unicam tantum ei dat legem, eique ter dicit: Simon, Simon, an me tenerius ames, quām omnes alii homines? Si me intensius ames, vade, & pasce oves meas. An me ames? eos mei amore ama. Viden' quid exigatur, ut in terra sis meus Vicarius. Virtute hujus præcepti gloriosus S. Petrus plures fudit lachrymas, quam mandata dederit. Quod si mandata daret,

ca

ea dabat lachrymis, & continuo profluvio lachrymarum. Et an aliquis possit Superiori, qui lachrymis oculorum mandat, quiq; monet Subditos, tantum amorem , tot flammas charitatis miscet , ut omnia accendat, inflammet, refragari, & non obediare possit ? Totus mundus volat ad ejus nutus, & quilibet conatur exactè ejus exequi mandata, immò plus facere, quam mandare auderet.

XVIII. Nec in minimo timeamus S. Paulum gestantem gladium ; nec in minimo inquam, cum timeatis, quia vos certos reddo, quod nunquam eum evaginet, eoque in regimine populorum nunquam utatur : quin immò in hoc potius utitur lachrymis, quàm armis. Scitis, inquiebat in Actibus Apostolorum, quod per tres annos vobiscum moratus fuerim, & toto illo tempore juges spargens lachrymas, pro quovis in particulari orarim. Porrò hic discursus fuit adeo tener , ut dum ab iis discederet, præ tristitia se mori putarint. Et quis non amaret hominem, qui potens evibrare fulmina , ejaculari tela excommunicationum , potius loquitur oculis,

D 7

quàm

quām ore, potiūs flagitat, quām petit? Ad-juro vos, inquietabat alibi, per mansuetudinem mei Domini Christi Jesu. Optimè sciebat, quod sola memoria suavitatis Christi Jesu fuerit sufficiens ad eliciendas vires ex debilitate, & eruendam patratiōnem miraculorum ab iis, quibus imperabat.

XIX. Et sanè in communi dici potest, quod principia Sanctorum, ut habeant regimen efficaciam plenum, sint sequentia. 1. Ne feras mandata præcipitanter, & quasi ex despectu. 2. Cave, ne aliquid præcipias, dum es iratus, & bile inflamatus, quia dicetur, quod hoc facias ex passione, & non ex motivo obedientiæ. 3. Ne tūquam contendas cum tuis subditis, nec unquam cum iis disputes de causa manda-ti, quia hoc confert ad disputationem, non ad regimen. 4. Cave, ne nimium pre-mias, & coarctas, sed corde constricto da tempus, sese aperiat, & ad suum statum redeat. 5. Dum aliquid negas, quod s̄epe fieri debet, ita hoc facias, ut quilibet vi-deat, à te hoc illubenter fieri, ut pote ad-
actus

actus à necessitate, & regulâ. Dicas, quod aliâ vice, alia occasione ei velis gratificari; quod velis scribere ad Superiorem, ut gratiam postulatam obtineas, quod majori gaudio perfundereris, si ejus votis annuere posses. Tandem uti dicebat S. Ignatius, si cor, & sanguis subditi turbetur ob repulsam, rationibus eum convince, & ostende, quod ita debeas facere, nec aliter facere possis. 6. Dum postulata concedis, id fac lètanter, non cuncteris, humeros non contrahas, non murmures; nam post tot responsiones negativas, post tot ceremonias, gratia non reputabitur gratia, & subditus mallet repulsam candidam, & sinceram, quam concessionem quasi extortam. 7. Amabilem te facito per amorem cordialem, & paternum, & nullam experieris difficultatem. 8. Quilibet putat se esse valde suavem, & in hoc puncto nec vir in minimo se esse culpabilem. Quæso te, ne adeo sis passionatus, & cæcus, ne à tuis bonis intentionibus tibi officias obduci finas. Melius faceres, si contrarium judicares,
nempe

nempe te longè abesse à vera dulcedine.
9. Semper habeas pileum in manu, & ver-
bis utaris melleis ; cave ne unquam aliquis
tuorum subditorum coram te stet capite
tecto, ne eum alloquaris verbis arroganti-
bus, obscuris, æquivocis, ac si loquereris
servo. Ne dicas, hanc esse tuam consuetu-
dinem, quia hæc consuetudo stulta, &
rusticitas idem sunt. 10. Ne nimium pre-
mas, nec ob quisquilias excandescas, quia
nonnulli tam seriò inculcant minutias, ac
si forent res maximi momenti. 11. Alloqua-
ris tuos inferiores , ac si essent te multò
meliores, & qui forsan post quatuor dies
erunt tui Superiores, vel qui ad minus me-
lius quam tu, hoc merentur. 12. Dum
prima vice superior institutus es, nullies
protestatus es te revera Prælatura non el-
se dignum, sed valde indignum. Juxta hanc
igitur existimationem manda velut is, qui
se indignum Prælatura existimat, & re ipsa
indignus est. In principio non loquebaris
ita arroganter, tam authoritativer, tam tor-
vè, uti modo facis. 13. Quod si casuali-
ter, inadvertenter aliquem errorem com-
misisti, errorem illico corrige, veniam er-
rati

rati flagita , verbis utere valde suavibus,
quæ cor emollient , quod exacerbasti : re-
staura illud aliqua charitate adaucta , &
imitaberis naturam , quæ tantum nutri-
mentum largitur ossi ex infortunio dif-
fracto , ut fiat fortius omnibus ossibus
cruris. 14. Si quandoque aliquem rigo-
rem adhibere debeas ; exhibete S.Franci-
scum Xaverium, ita ut multò libentius ipse-
met faceres pœnitentiam , quām eam alte-
ri imponas. 15. Dum poples tenelli
Agni diffraetus est, bonus opilio non con-
quatit alterum , nec Agnum idcirco ver-
berat, sed medicinam adhibet , tibiam fra-
ctam diligenter circumligat , Agniculum
finu gestat, mulcet , & suaviter tractat : ita
ut misera bestiola os non aperiret , esto
Pastor eam decollaret. Innocens illud
animal in tam bonis manibus , nil adversi
invenire potest. 16. Quod si aliquis te
contemnat, potius ei condole , quām odio
eum habeas; dicas te hoc, ut multò pejora-
mereri. Totus mundus adorat Superio-
rem , qui se humiliat. Econtra conatur
alium deprimere , qui super alios se extol-
lit. 17. Nescis causa, ut langueant illi, qui-
bus

būs præstare vis aliquam gratiam; nam h̄e dilationes, hi languores mutant gratiam in disgratiā. 18. Nulli unquam objicias beneficia, & obsequia præstita: serpens destruit caudā ea, quæ cōpīe fecit: ita quoq; tu plura destruis, quām feceris, ut loquaris, sicuti debes, loquere semper candide; dic te nil fecisse, quod valet; dic tuā voluntatem, tuum desiderium esse bonum.

19. Imitare columbā symbolum Spiritus S. & animæ ejus sponsæ: si columbā percussam suavies; si eam demulcas, si ei pīsum des, statim quietatur, & contentatur, & pax est conclusa. Ne cor crucies, ne sis inquietus, sed mox ut subditus agnoscit se peccasse, redi ad tuām tranquillitatem, eiq; cor aperi.

20. Ne unquam sis obstinatus, nec pertinaciter, & asperè defendas tuām innocentiam, sed imitare David & S Bernardum, & dic; *Audiant mansueti, & latenter.* Ego me committo judicio animarum mansuetarum, & benignarum. Si h̄e me condemnent, etiam me condemnō, & candidē meū defectum agnosco. Omnes illos, qui bonum habent cor, meos Judices constituo. Quod si hi me defendant,

Deus

Deus laudetur. 21. Mi per dilecte Lector, rogo te, mihi ignoscas, humillimè veniam flagito. Nimis temerarius sum, dum audeo alios docere id, quod ego non habeo, nec ex me scio, quodque nullis regulis capi, & doceri potest, cum ipsem et Spiritus S. dixerit: *Vnde docebit vos.* Unctio divina erit Magistro hujus divini arcani. Balsamum cœleste docet, qualiter homines in hoc mundo regi debeant. Non fulmina, non tela cœli, non furiæ, tempestates maris, non tremores, & commotiones horrendæ terræ, non zelus, non justitia, non rigor Dei, sed sancta unctio, balsamum divinæ mansuetudinis, dulcedo cordis Dei hoc arcana tradiderunt. Suavitas Dei est schola, in qua docetur modus gubernandi homines. Magne Deus, cum tu solus sis Magister, nostra corda hunc modum doce, inunge nos hoc divino balsamo, hac potentissima unctione nos mædefac. Felices erimus, si Deo dicere possimus: *fecimus quod jussisti, da quod permisisti.* Reximus velut columbæ, & Agni in humilitate, & mansuetudine cordis. Impertire nobis tuā S. benedictionē, benedic nostro regi.

regimini, & omnes sciant, quod quidquid
boni egimus, id tibi deberi: quidquid ve-
rò mali factum est, provenire à nostra sto-
lilitate, omnemque gloriam per totam
aeternitatem tibi deberi. Ita fiat.

CAPUT QUINTUM.

*Hactenus dicta declarantur per pra-
xin, & traditum eorum notabile
exemplum.*

Nil facilius, quam præscribere insigne
regulas, sed nil difficilius, quam eas
practicare, sicut oportet. Bonum exem-
plum in hac materia plus valet, quam de-
cem volumina argumentorum. Graviter
non delinquitur ex eo, quod nesciamus,
quid beat fieri, sed ex eo, quod lumina,
quæ dantur in intellectu, applicare nescia-
mus. Jesus Christus Patrem filii prodigi-
nobis exemplar dedit, eum laudavit, velut
ideam proposit, & vult, ut eam imite-
mur.

I. Hic Pater, quidquid potuit, fecit, ut
impediret, ne filius abiret, & ab eo disce-
deret;

deret ; dumque videret omnem operam amissam, cuncta divinæ providentiae commisit , sperans eum tandem à Deo reducendum. Prælati quidem exoptant, ne aliqui committantur defectus ; id tamen semper non optant ex timore, ne Deus offendatur, sed potius ne eos supportare debeant, vel quia existimant eos cedere in eorum despectum, vel quia aguntur aliqua occulta passione, aut defectu secreto. Debemus imitari Deum, qui etiam ex parvis defectibus magna bona elicit.

II. Quamdiu filius prodigus errabundus vagabatur, & in libidinibus volutabatur, Pater imitabatur S. Job , qui Deum rogabat, ut suis filiis benedictionē cœli impertiretur. Profectò hoc longè aliud est, quam exaggerare defectus, & velle subditos errantes vivos deglutire. Oportet in silentio , & patientia expectare benedictionem Dei, qui corda disponit, ut emendentur: interimq; potius orandum, quam clamandum est.

III. Ad primum rumorem redditus prodigi; ad primum nunciū, quo pater audit filium reversurum, non egit Araebm,
vel

vel silvestrem¹, non cœpit furere per domum, excandescere, minari, brachi & crurifragia illi misero errabundo; & inobedienti; sed cor, viscera paterna aperuit, ut illum iis invisceraret; dicebat: dummodo sese emendet, omnium præteriorum obliuisci volo.

IV. Dum filium eminūs advenientem prospexit, brachiis, & corde obvitis ei processit. Non expectavit, ut rogaretur, non exaggeravit defectum filii, gratiam, quā eum recipiebat. Quisquis sincrè amat, tot ceremonias non adhibet, nec tam exactus in omnibus est. Alius adhuiisset improperia, verba amara; sed talis non habuisset cor paternum, sed fuisset homo ferinus, non spirans nisi vindictam, carens omni vero affectu.

V. Mox ut ille miser filius advenit, sese adstravit pedibus sui Patris, & oculis lachrymantibus veniam rogavit. Timor nunquam eliciisset tot lachrymas ex oculis, tot favillas, & suspiria ex corde. Bonus pater verba ex ore ejus ademit, nec permisit illum miserum juvenem, qui suam culpam fateri volebat, & veniam rogare,

vel

vel verbum proferre. Cor paternum hoc ferre non potest, dum subditus qui erravit sincerè se humiliat, & resipiscit. Cor paternum boni Superioris primam syllabam, quam proferre incipit, statim intelligit, nec permittit, ut suam culpam agnoscat; sed eū prævenit, & cor miseri delinquentis ita devincit, ut malit millies mori, quam ad vomitum redire. Rigor destruxisset filium prodigum, eumque forsan de novo concitasset, & in desperationem præcipitasset.

VI. Nullum ei responsum dedit, sed in collum ejus irruit, osculo pacis eum salutavit, fortiter eum complexus est, omnia præterita delicta extinxit, & filium vi amoris lucratus est, & resuscitavit. Rigor cor occlusisset, & in irrevocabilem desperationem egisset.

VII. Alius eum inedia mulctasset, pane & aqua ejus capitositatem mortificasset, & juvenis paratus erat ad hæc peragenda; sed hic modus agendi cor ejus non fuisset lucratus. Pater vitulum saginatum jubet occidi,

cum

eum vestibus opulentis , & pretiosis induit, opiparum convivium amicis instruxit: nil aliud resonabat, quam symphoniam, festivi concentus; annulum ejus digitis inseruit, ac si voluisset, desponsare sibi ejus affectus, & cor ligare. Miser ille adolescens pro eo quod comedederet, lese præ gaudio mori putabat, & si in ille corda, mille viscera habuisset, ea laberis impendisset, ut tam bonum Patrem oblectaret.

VIII. Dum filius natu major è campo rediret, illaque festiva gaudia audiret, & interrogaret, quid illa tripudia, quid illæ solemnes nuptiæ in ædibus sui patris denotarent, rem uti re ipsa erat intellexit: cœpit itaque diris devovere suum fratrem, immò suo patri succensuit, ejusque nimiam indulgentiam fugillavit. Ut quis obtineat, quod vult, peccare & male agere debet. Boni, & obedientes vilipenduntur, nec curantur; Et nescio quæ alia non effutierit. Vix hæc ad bonum patrem delata sunt, & illicò remedium adhibere, & pacare illum filium studuit, causam assignans, cur benignitate tam incomparabili usus sit. Sat frequenter contingit, ut dum boni

Supe-

Superiores, magnam benignitatem exhibent delinquentibus, nonnullus animus tetricus, & inquietus sub prætextu zeli obmurmuret. Dum Magdalena pedes Christi inungeret, & hic ejus errores tanta benignitate condonasset; totus mundus obstrepare cœpit, sed Dominus eam defendit, & excessum suæ dulcis bonitatis ostendit.

IX. Postquam bonus pater animum ferocem filii natu majoris mitigasset, ut fine imponeret, hanc rationem subjunxit: *Dilecte fili, nil minus facere potui, & necessariò aliquale gaudium contestari debui: nam hic meus percharus filius, qui perditus fuit, & mihi quasi mortuus, feliciter inventus est, & quasi vitæ restitutus. Cordi paterno hoc tantum gaudium est, ut debeat lœtari de ejus reditu, & omnium suorum præteriorum defectuum obliviisci.*

X. Quod me concernit, ego puto bonum senem filium juniorem manu præhendisse, & per triclinium ad natu majorem duxisse, & jussisse, ut in mutuos complexus ruerent, Senioremque sic affatum

E esse:

esse: Mi fili, plus quām verum est, hunc tuum miserum fratrem deliquisse, sed tot calamitates perpessus est, ut re ipsā me ad misericordiam commoverit. Insuper tot lachrymas fudit, tanto dolore sua errata detestatur, ut cor habeat petrinum, qui ad condolentiam non movetur. Ad hæc verba omnes in teneras lacrymas resol- vebantur. Bonitas illius boni patris sal- vavit totam familiam, & parvum Paradi- sum constituit.

XI. Et revera effectus hujus benigni- tatis tantus fuit, ut nesciamus, an filius conversus unquam relapsus sit. Millies cum Magdalena maluisset mori, quām vel in minimo bonitatem tam excessivam of- fendere. Quod si pater severum erga eum se exhibuisset, forsitan gravius quām ante deliquisset.

XII. Porrò optimum in hac historia est, quod Jesus Christus hanc parabolam applicet suo regimini, & dicat: si aliquis homo tam benignum se exercuerit, quid non debeat expectari ab ipso, qui est Agnus Dei, & ipsimet Deus? Tandem concludit, & hortatur, ut eum in hoc imita-

imitari conemur. Et an putetis eum nescire, qualiter regi debeant homines, ut eorum corda devincantur? Bonus Superior non est ille, qui habet subditos, qui nunquam delinquent; nam sol nunquam talem conspexit, nec talis dari potest. Ille est bonus Superior, cui bene perspecta est humana fragilitas, qui supportando defectus corrigit, qui non cessat balsamo perfundere plagas, donec æger perfectè curetur, & ita comparatus sit, ut malit mori, quam tam bonum patrem offendere, & cor tanta charitate plenum contrastare. Et dato quod infirmus non sanaretur, & suæ obligationi non satisficeret: quale quæso solatium non sit bono Superiori, si possit dicere: feci quod Christus mandavit, feci quod ille fecit: bonum patrem me exhibui? Quamvis meus filius velit esse filius prodigus, & nolit subesse meæ tutelæ, meæ disciplinæ, sed terminos observantiæ transilire; idcirco tamen ego non omittam ea, quæ facere debo. Expectemus diem Domini, horam ejus præfixam, & dum minus putabimus, bona-
itas ejus quod oportet, faciet.

XIII. Qualitercunque aliquis regit,
nunquam aberunt aliqui defectus, &
erunt aliqui, qui delinquent. Quod si ali-
quis suaviter, & leniter regat, is 1. regit
faciliter. 2. regit absque sollicitudine &
labore. 3. non est præceps in negotiis, &
omnia facit sine strepitu. 4. non præoc-
cupatur, nec aliquid facit inconsiderate.
5. sibi devincit corda subditorum, & à bo-
nis quidquid vult, obtinet. 6. ostendit
minus bonis in justitiam stare, eosque es-
se culpabiles, & eos à toto mundo ut tales
damnari. 7. ipsimet resipiscunt, & citius,
aut seriùs coguntur agnoscere suum pec-
catum, & defectum. 8. Melius & exactius
imitatur regimen Christi. 9. perfectius
mundat suum cor, & illis, qui abutuntur
suā bonitate, utitur velut instrumentis sua
humilitatis, & charitatis. 10. citò vel se-
rò per patientiam, & longanimitatem
omnia negotia ad felicem exitum perdu-
cit. 11. nunquam labitur vel, illi, qui
quamvis per rigorem obtineant aliquid
boni, tamen plura mala faciunt, & tandem
subeunt magnos labores, conficiuntur
magnis pœnis, & vix quis erit, qui
eis

eis gratias agat. 12. Ex paucis malis, quæ suffert in subditis, sibi & suis subditis multa bona elicit. 13. Illi ipsi qui sunt difficiles & refractarii, sensim mansuescunt, remittunt, & bonitatem Superioris agnoscent, deprædicant, & dicunt, quod nō obstante, quod virga disciplinæ eos ad observantiam adigere potuerit ; eos potius voluerit lucrari, & cor aureis catenis charitatis ligare.

XIV. Porrò quod valde observandum est, filius prodigus forsitan multo intensius amavit suum patrem, quam alter ejus frater, qui nil aliud fecit, quam quod murmuraret, eusque actiones fugillaret, funditus uti ajebat, in sua innocentia, quodq; nunquam suum Patrem offendisset, non secus ac Magdalena Christum intensius amavit aliis, adeo ut Christus dixerit, ei, qui plus amat, plura dimitti. Certum est non raro subditos, quibus corde paterno a q;ais defectus condonatus est, intensius, tenerius amare suos Prælatos, quam illi, qui dum existimant se innocentes, toti sunt in traducendis actionibus aliorum, ita ut fiant insupportabiles.

E 3 XV.

XV. Et hic est sensus Paradisi, in quo
 Angeli magis tripudiant de peccatore
 converso, quam de nonaginta novem
 iustis, quos veniam non indigere sciunt.
 Non absimiliter bonus Superior major
 gaudio afficitur, cum quod miserum cor,
 quod à passione abstractum fuit, per suau-
 itatem absque ulla confractione ad viam
 perfectionis reduxerit, quam de viginti
 aliis, qui absque vacillatione suum iter
 prosequuntur. Et sane illi, qui sunt duri,
 & obstinati in condonandis aliorum de-
 cibis, saepe maiores coram Deo com-
 mittunt, quainvis hoc non agnoscant. Et
 esto eos de praesenti non committant;
 quis eos certos reddat, quod in futurum
 peccaturi non sint? Quod si hoc fiat, qua-
 liter velint tractari. Magnus Deus con-
 solationum, & Pater misericordiarum lar-
 giatur nobis sufficiens lumen, ut verè co-
 gnoscamus, qualiter nos ipsos, & alios re-
 gere debeamus, ut dum ex obedientia ad-
 movemur ad regimen, secundum re-
 gulas certissimas, & infallibilis
 cœli regamus.

CAPUT

CAPUT SEXTUM.

An Prælatus possit satisfacere omnibus, & id debeat desiderare?

Profectò magna impotentia, & temeritas nimis grandis est, quod aliquis sibi imaginetur, se id posse facere, quod nemo ne quidem ipsem Christus unquam fecit. Possimus quidem optare sinceram intentionem hoc faciendi, & laborare, ne aliquem contristemus; possimus quidem ex sensu omnium sapientum facere, quod debemus; possimus quidem gratificari omnibus bonis, & probis; sed cum juxta sapientem numerus stultorum sit infinitus; quomodo aliquis omnibus his capitibus satisfaciet? Quod si tua bene facias, stulti te perstringent. Si tua male facias, sapientes te condemnabunt. Si nec bene, nec male tuum officium exequaris, utrique te irridebunt. Ego claram tibi volo ostendere, hanc rem non posse fieri sine miraculo, & esse quasi impossibilem, aut si sit possibilis, nescio an ad

E 4 majus

majus nostrum commodum in hoc mundo debeat desiderari.

I. Et quidem primò dantur aliqua capita, quæ sunt propriè Antipodes, quæ habent spiritum contradictionis, & naturaliter se omnibus opponunt. Facias quidquid velis, semper habent aliquid, quod reponant. Quamvis faceres miracula, illa traducent, velut incantationes, aut illusores, & dicent, hæc non esse aliud quam hypocrisin, ut quis suo intento fruatur. Et edic quæso, quomodo pacabis hos spiritus adeo malignos, qui sibi ipfis satisface-renequeunt, & majori parte temporis nesciunt, quid velint?

II. Quamvis sis valde prudens, & in tuis actionibus circumspectus: quamvis tua verba examines ad lancem sapientia; quomodo contentabis tot inquieta cerebra, tot leves, & indiscretos spiritus, tot capita, quæ effutiunt, quidquid venit in buccam, quæque totum condemnant, quod non intelligunt? Jam centies te damnarunt, priusquam medium inveneris, vel semel iis ostendendi, & proponendi tuum rectum modum agendi. Hoc est

mar-

martyrium sapientum, quod nempe judicari debeant nescio à quibus bardis, & animis vilibus, qui omnia carpunt, quæ statim non intelligunt.

III. Mundus refertus est indiscretis, vel invidis, adeo ut quamvis omnibus exactè coneris satisfacere, omnia æqualiter dividere; attamen nunquam contentabis eum, cui sua invidia est zelus, sua passio ratio. Quò melius tua facis, eò acrius te laceſſent invidi, & dicent tuam sapientiam nil aliud esse, quam dolum, tuam circumſpectiōnem traducent, ut nimiam conniventiam, tuum candorem velut minimam simplicitatem, tuam devotionem velut simulationem; tuam amicitiam tanquam adulatiōnem & palpuim; tuam ſcientiam velut ignorantiam; tuam eloquentiam velut garrulitatem, & blaterationem. Quomodo ergo pacabis hanc Sirenem, hanc Tigrem invidiæ, quæ omnia convertit invenenum, & ſolis calumniis, & criminatiōnibus viicitat? S. Paulus, nunquam potuit effugere tyranidem hujus invidiæ, & invidi eum ſemper infectati ſunt, cumque perdere ſtuduerunt.

CHRISTUS
E § JESUS

JESUS amisit vitam, eò quod invidia Synagogæ splendorem virtutum ejus sufferre non potuit: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? &c.*

IV. Quomodo speres te unquam contentaturum quædam capita phantastica, quibus non poteris satisfacere, nisi omnes probos offendas, & reliquos omnes contristes? Quid quæso facies? Si bene tua facies, sapientes te suspiciunt; sed ille fungus, ille stupidus, ille hypocondriacus dentibus te proscindet, & solus plura contra te effutiet, quam omnes sapientes & prudentes in tui adferent defensionem. Verum quidem est, quod ab eo stet in justitia, sed interim tuum fatum mille criminacionibus infestabit, & fatuus capacior est ad incendendam domum, quam sint centum sapientes ad flamas extinguendas. Globus explosus à stulto non minus occidit, quam globus explosus à sensato.

V. Dum aliquis incidit in homines, qui nullum alium sequuntur, quam suas passiones, qui nil aliud consulunt, quam

quàm suum pervicax, & nasutum cerebrum, qui omnia quæ per phantasiam eorum transeunt, suspiciunt velut oracula, qui passionem venerantur velut rationem, stultam imaginationem æstimant zelum, qui adeo sunt dementati ab amore proprio, qui quidquid faciunt, existimant esse voluntatem præcisam Dei, qui se in omnibus putant quærere gloriam Dei, cum re ipsa decipientur, & illudantur: quomodo iis satisfacere poterit? Non est aliis modus, quàm ut quis in omnibus iis condescendat. Hoc autem nequit fieri absque læsione conscientiæ, offensione Dei, fomentatione illusionis hominis, qui actus, & excæcatus ab amore proprio vult, ut omnia fiant juxta propriam phantasiam. Quod si dicas eum decipi, confessim est in fermento, & bile inflammatur.

VI. Quod si duo à te petant candem rem, quam uni soli dare possis; quomodo utrique satisfacies? DEUS solus hoc facere potest, & nescio, an sine maximo miraculo. Quod si Deus velit concedere S. Joanni sedem à dextris Christi, & S.

E 6

Jaco-

Sy-
fer-
amo

on-
ca,
nisi
o-
Si
nt;
on-
lus
nes
de-
od
fa-
it,
am
ces
x-
m

s,
-
c,
m

Jacobo sedem à sinistris, confessim reliqui
Apostoli murmurant. Quod si illam ne-
get, statim illi, eorumque mater reple-
tur amaritudine, & summa mortifica-
tione. Quid ergo facies, ut utrumque
contentes? S. Petrus abit in hanc sen-
tentiam, S. Paulus in contrariam, judi-
catque S. Petrum reprehensione dignum.
Descendat de coelo S. Michael Arch-
angelus, & suum sensum aperiat, quia
nunquam uni gratificabitur, quin alte-
rum sit offensurus: nisi S. Petrus ex hu-
militate suam opinionem deponat, & al-
teri cedat. Ast enim hoc supposito,
quid S. Petrus sequens suum judici-
um, & lumen naturale sui intellectus non
dixisset?

VII. Homines sunt adeo cerebrosi,
ut ipsum sepe nesciant, quid velint.
Audiamus ipsum Christum. Venit
Joannes, neque edens, neque bibens,
& eum criminantur esse veneficum. Fi-
lius hominis velut alii bibit, & come-
dit, & eum cavillantur esse potato-
rem. Quid ergo factu opus, ut ca-
pitibus tam pervicacibus satisfiat? Re-
vera

vera maximo mœrore afficerentur , si aliquis conaretur iis satisfacere ; nam meliori & potiori parte totius vitæ sunt desolatia, male contenta , & omnia carpunt, ac fugillant. Duo præclarissimi viri totius mundi Jesus Christus, & S. Joannes hoc non potuerunt facere , adeoque tu temerarius sis , si speres te hoc facere posse, omnibusque absque eo , quod transfilias terminos æqui, ac honesti, gratificari.

VIII. Prædicat Christus, & nonnulli inquietunt, nullum unquam auditum, qui tam divinè loqueretur, alii mussitant, & tacitè queruntur dicendo, illum suis prædicacionibus suscitare gentes, nullu inque meliori modo aperuisse viam, qua populus rebellaret , & in periculosisssimam seditionem excitaretur. O Deus ! Et quid factu opus, ut spiritus adeo oppositi, & omnino contrarii quietentur ? Idem Christus centena & millena patrat miracula. Aliqui rapiuntur ab ejus vultu, eumque adorant, aliqui proclamat eum Dæmoniacum, atheum, qui nulli nec Moysi , nec Deo credit. Quod si ergo patret miracula, vocabitur Magus, veneficus. Quod si ea non patret,

E 7 voca-

vocabitur filius fabri, homo vilissimus. Eheu! Et quid unquam fieri possit, ut omnibus satisfiat? Quod si sapientia increata, & incarnata omnibus gratificari non potuit: quomodo ille vesanus sibi imaginetur se hoc facere posse, aut quomodo dicet, sibi magnam fieri injuriam, si totus mundus clamet sibi ab eo non plenè satisfactum? O vanitatem vesanam, & dementem præsumptionem?

IX. Sæpe evenit, unum ab altero non intelligi, & exinde quandoque opiniones irreconciliabiles oriuntur. Quilibet profane habet rationem; nulli tamen favet justitia. Non tibi arroga gloriani, vel ut melius dicam, vanitatem, quod possis reperire modum toti mundo satisfaciendi. S. Epiphanius dicit se nunquam potuisse supportare Origenistas. S. Chrysostomus repunit, ab eo semper condemnandos innocentes cum peccatoribus. S. Epiphanius addit, quod nomen peccatoris adeo sit infame, & peccatum adeo sit fœdum, ut absque mora hæc vipera Ecclesiæ opprimi, & extingui debeat. S. Chrysostomus replicat bonum Judicem nullum condemnare re-

um,

um, nisi prius delictum proprio ore fateatur. S. Epiphanius insimulat S. Chrysostomum niiniæ moderationis; S. Chrysostomus è contra S. Epiphanium traducit nimis præcocem, ferventem, & qui non det locum veritati, nec habeat patientiam, ut illam audiat. Quid, inquit Epiphanius, patientia? Hæc re ipsa est indulgentia, & dissimulatio. Quid dissimulatio? replicat alter; ut dicam quod res est: hæc est præcipitantia. An ergo metuas, ne condemnes hæreticos, nec in minimo timeas, quod unum præ altero, innocentem pro reo condemnes? Video, te propendere in partes Origenis, & vereor, ne stes pro inimicis veritatis. Bene bene, inquietabat Epiphanius, ego abeo, & ex parte Dei tibi denuncio, te non moritum Constantinopoli, sed in mari, in exilio. Bene, respondebat Chrysostomus, ego ex parte ejusdem tibi prædico, te non per venturum ad tuam Diœcesin, & non minus moritum in mari, quam ego.

Ambo erant sancti, ambo prophetarunt, ambo habuerunt aliquam rationem, uterque videbatur aliqualiter errare,

ver-

verbo, omnia sic evenierunt, & uterque in mari periit. Nunc vade, & hoc concilia, dicasque quid velis, & vide, num utriusque satisfacias, & an non debeas candidè fateri, omnes quantumvis forent sancti, contentari non posse. Hoc est dispositio divinæ providentiaæ, hoc permittentis, ut Sancti sibi ipsis diffidant, se profunde humilient, agnoscant suam debilitatem, propriis opinionibus nimis pervicaciter non adhæreant, timentes ne decipientur, & se ipsos querant.

X. Cassianus inquit, Deum noluisse Angelos præficere hominibus, eò quod certissimum sit, illos beatos Spiritus non contentaturos suos subditos, & fortè minus quam eos contentent homines. Quod si enim voluissent adstringere, & duriuscule tractare homines, statim iis fuisset objecrum: Angeli bene hæc dicere possunt, cum enim sint incorporei; speculativè tantum quid sit debilitas corporis sciunt. Aliud est esse miserum hominem, aliud impassibilem, & gloriosum Spiritum. Angeli nesciunt, quid sit tentatio, necessitas, quid sit habere vicinum inimicum. Sunt impecabiles,

cabiles, & certi de sua salute. Unus Novitius spatio horæ plura dabit sana confilia, quam Generalis omnium religionum spatio centum annorum executioni mandare possit. Verbo ut finiam, experientia humanarum miseriarum modum regendi homines docere debet; cum & ipsum Verbum Incarnatum dicat, quod ex iis, quæ pertulit, obedientiam, & modum bene regendi homines didicerit. Quod si Seraphim non audeat sibi polliceri, quod cuivis sit satisfactus: quomodo id homo sua debili, & imperfecta scientia gubernandi sperare possit.

XI. Dum S. Bernardus miracula patrare inciperet, ejus patruelis Andreas, ejusque frater eum vehementer, & valde importunè infestabant. Alii Monachi instabant, hac occasione uteretur dono miraculorum tanta liberalitate à Deo sibi concessu; sed quid vir Dei faciat? An patret miracula? Patruelis, & frater pileum tam onerosum ei confident, tantam temeritatem capiti ejus impingent, ut lachrymas oculis ejus sint excussuri, cum pudore, & confusione sint suffusuri, & velut præsum-

ptuo-

ptuosum traducturi. Quod si miracula non patret, Monachi cavillabuntur, quod ex respectu humano Deo servire desinat, decorem sui ordinis negligat, & ut gratificetur duobus hominibus, omnes Angelos, & reliquos homines offendat. Quid ergo hic faciet Agnus, cum quocunque se vertat, aliquem offendere debeat? Vade nunc, & tibi persuade, te adeo sapientem, circumspectum esse, quod inventurus sis modum omnibus tuis subditis satissaciendi. Fateri debes, quod nimium de te sentias, dum tanta præsumis de tuo modo agendi. Experientia sat citò tuam simplicitatem detegit.

XII. Et qualiter regas, aut quâ manuduces capita suspicosa hypocondriaca, phantastica? Spiritus nigri, & fuliginosi, qui suum miserum cerebrum offuscant, proponunt chymeras, eosque aestimant Evangelia, quidquid facis sinistre interpretantur, & imponent, quæ nunquam somniasti. Candor sincerissimus tuarum intentionum iis videbitur niger, & plenus machinationibus, & molitionibus.

Quod

Quod si iis gratificeris , te vilipendunt.
Si opinioni tuæ aliquantis per insistas, aver-
sionem interiorem erga te concipient.
Sive eos alloquaris, sive non, non nisi cum
molestia eos devincies. Hi cardui non
tanguntur absque eo quod pungant , &
manum decorticent.

XIII. Verùm enim verò, hæc impossibili-
tas adeo evidens est, ut qui eam in du-
bium trahit , suspicionem ingerat , num
habeat sensum communem, judicium soli-
dum. Dic, sodes, an sit possibile , quod
homo , qui regit multos , quorum aliqui
sunt omnino ignei, alij plumbei, alij terrei;
quorum aliqui moventur celeritate venti,
aliqui pedem è terra non sublevabunt, esto
omnes trochleas , quas artes Mechanicæ
invenierunt, adhibeas. Quidquid faciat,
omnibus satisfacere queat ? Unus dicet
cum esse nimis præcocem, & præcipitem,
qui omnia vult in momento , qui agenda
non considerat : alij eum traducent velut
lentum , qui in mille gyros distenditur,
qui nullum opus quantumvis multum su-
det, ad finem dederit. Quot subditos
quis habet , tot sunt mundi , quorum
quilibet ab alio differt. Et quis inveniat

mo-

modum sistendi fluxum, & refluxum maris, cursum ventorum, ardorem ignis, tremores terrae, & quod pejus omnibus est, morem gubernandi capita hominum, quae sunt Triton, bractea; seu Gallus campanilis.

XIV. Certus sis, illos, qui sunt magis spirituales, nisi oppidò sibi invigilent, esse magis refractarios, & difficilius aliis regi. Sunt pervicaces in suis conceptibus, obstinati in resolutionibus, pertinaces in suis luminibus, nec est modus coercendi hunc Chamæleuntem, & impediendi, ne in suis perpetuis inconstantiis constantissimus sit. Monasterium S. Abbatis Popponis in duas factiones distrahebatur; nonnulli eum criminabantur prodigum, utpote suis magnis profusionibus, largis eleemosynis sanctam paupertatem destruentem. Alii dicebant charitatem ejus fuisse felicitatem illius ædis, ita ut quo plura daret, eo plura à Deo reciperet. Sanctus ille vir valde perplexus hærebat, & nesciebat, quid ageret: si stipem erogaret, clamabant: si eam non daret, altius vociferabantur. Quid ergo faceret ille sanctus homo? Ait severabat, se non

non angendum, nec curaturum, dummodo Deus, prudentes, probi contenti essent, & magnum esse scelus sese omnibus velle attemperare, & quibusdam nasutulis gratificari. Verbo, ut alibi dixi, murimuratoribus dicebat : *Si debo damnari, propter nimiam charitatem damnari volo.* Cum dicatis me damnandum, non renuo, eò quod fecerim ea, quæ Deus mandat, & Sancti consulunt.

XV. Et quis omnibus majorem satisfactionem dare debuit, quam S. Franciscus, qui suam regulam à Christo acceperat, quique gubernabat juxta regulas Spiritus Sancti? Interim bonus Sanctus abdicare debuit Generalatum ob causam, quam ipse met allegavit, & ego justis ex causis reticeo. Interim hic Seraphim fatebatur, magno se affici cruciatu, quod sufferre deberet contradictiones fratris Eliæ, & non nullorum aliorum, qui suum genium illi sanctos simplicitati, ejusque magnæ austritati attemperare non poterant. Nunc vade, & præsume te facturum id, quod S. Franciscus corpore transforato à quinque gloriofissimis plagiis, ore illo referto Spitu

ritu Sancto, corde toto inflammatu, velut
melius dicam, amore divino transformato
in cor, ejusque pectori inviscerato, in hoc
mundo facere non potuit. Sicut Septentrio
est pars mundi, quamvis valde aspera, &
malefica; ita contradic̄tio est pars essentia-
lis nostrae humanitatis, atque in sanctitate
floreat, aquilo furiosae contradictionis ve-
hementer furere debet.

XVI. Et quām non sint simplices illi, qui
mirantur unum non posse omnes conten-
tare, cum nec Seraphim hoc facere possit?
An putetis, dum Angelus stitit solē, ut obe-
diret Josue, omnibus placuisse? Josue quidē
fuit optimē contentus, & totus ejus exer-
citus corde lāto laudabat Deum. Verū
hostes quos insectabatur, diris devovebāt
solem, & Angelum, & forsā Deum abne-
gabant. Ipsi met probi, dispersi per mundū
querelis laceſſebant naturam, & eum qui
tamdiu ſiſtebat Solem; nam valde moleſta-
bat, & cruciabat illos, quorum caput recte
impetebant, & quos radij tam prolixæ, &
urentis meridiei urebant. Adeo verum eſt
neminem posse placere multitudini, in qua
personæ tam diversæ habēt coimoda, na-
turæ tam contrarias, lumina cœleſtia tam
disparia.

XVII. An

XVII. An unquam perpendisti Dominam Sanctissimam, quæ erat ipsa benignitas, & mater Divinæ Sapientiæ, nunquā potuisse omnibus satisfacere, etiam illi, cui debebat aliquam obedientiam, & à quo tenerè amabatur? Dum Angelo Gabriele nunciante didicit se futuram matrem Verbi æterni, & hic ei dixit ne vel verbo suo sancto Sponso Joseph mysterium insinuaret; Sanctus Vir videns sanctissimam Virginem esse gravidā, tam profundo mœrore confectus, tanto cruciatu animi anxiatus est, ut nesciit, quid facere deberet. An eam desereret? sed satius desereret Paradisum. An eam nō desereret? sed quid dicet mundus videns eam imprægnatam, nesciens à quo? An eam alloquatur? Sed quid dicet? An nullum verbū ei dicat? Cor sentiet crepari, bonusque vir nescit, ubi sit, & quid facere debeat.

Ex altera parte an nostra Domina eum nō alloquatur? si hoc faciat, violabit secretum, offendet Deum, qui volebat, ne vel verbo arcum proderet. An nihil dicat? Hoc est magnum martyrium, & valde cruciatitur, videns suum sponsum tot angustiis torqueri, è quibus verbo eum possit libe-

liberare; & tamen non audeat. Viden' ergo, qualiter ambo innocenter desolati sint. Nostra Domina judicabat illum Sanctum, qui erat testis irrefragabilis suæ vitæ aliud non potuisse judicare, quām quod illud opus esset effectus extraordinarius Dei. S. Josephus asserebat suam charam Spontem facillimè absque ullo dispendio dabo bus verbis illud Mysterium revelare posse. Et profectò nisi Angelus ex parte Dei S. Josephum informasset, nescio, quid non resolvisset, & quid non evenire potuisset. Non raro evenit, ut superior aliquid faciat, nec tamen causas & motiva manifestare possit, vel debeat; nam quandoque obstrictus erit sigillo inviolabilis secreti, adeoq; si aliquid dicat, præter violationem secreti, forsitan totum negotium destruet, & pessimos effectus producet. Quid ergo faciat in tot angustiis constitutus? an suam intentem candidè aperiat? sed secretum frangit, omnia destruit, & pro eo quod minimum defectum emendet, forsitan maiorem committet. An nihil dicat, & faciat, quod æquum judicat? subditas hoc judicabit dissimulationem, prætextum;

di-

dicet, quod nullam erga eum habeat confidentiam, quod agat dolosè, fraudulenter; quod non sit sincerus, candidus, sed versipellis. Quid ergo faciat miser superior? quod si loquatur, offendit Deum, violat secretum, prostituit suam conscientiam. Quod si taceat, subditus sum-mopere affligitur, ita ut nisi adveniat aliquis S. Gabriel, quædam sancta inspiratio, & diem producat in illo misero tenebris involuto, & omnia illa dubia diluat, superior quamvis esset Seraphim, cuivis satisfacere nequeat.

XVIII. Nunc capio, cur S. Paulus tam dilucide dixerit: Si conarer hominibus placere, sanè non essem bonus servus mei Domini Christi JESU. Nam dantur subditi naturæ tam malæ, vel ob aliquam passionem, quæ prædominatur, adeo inordinati, ut contentari nequeant, nisi Christus, & probiores, qui in Communitate degunt, offendantur. Hæc itaque est consolatio virorum sanctorum, & etiam fuit S. Bernardi, qui videns suas actiones in sinistram partem trahi, crebro dicebat: *Bernarde, audiant man-*

F sueti,

sueti, & latentur, & sufficit nobis: actiones meæ cribrentur, judicentur à personis benignis, à capitibus mansuetis, suavibus, impassionatis; nam si boni mea acta approbent, & rata habeant, reliquos nil aestimo, nec aliquid ulterius in hoc mundo desidero.

XIX. Ast enim verò, aliud extreimum summopere cavendum est, nempe ut dum omnibus satisfieri nequit, Superior nulli gratificari conetur; quamvis enim subdito non semper injuria inferatur, attamen sàpe offenditur, & Superior ex parte sua injuriam committit, vel quia non est bene informatus, vel quia nimis excandescit, vel quia nimis facilem fidem adhibuit delatori, qui quamvis rem æquam se facere putet; attamen defectum nimis exaggeravit, & muscam vendidit pro elephante; vel quia tandem ob aliquam impatientiam, naturam aliquam tetricam torvè, morosè, durè subditos alloquitur, aut feruum, immanem erga eos se exhibet. Et profectò hæc materia est maximi momenti; cum enim Sancti sint homines sicut alij, quamvis quæ Sancti actiones valde perfe-

Etas

etas producant; attamen quā hominibus
iis quandoque aliquid elabitur, quod hu-
manum sapit. Porrò sicut subditi inde-
center ponderant hanc impotentiam eo-
rum humanæ conditionis, ut omnes eo-
rum defectus propalent; ita valde decen-
ter, & prudenter superior absque ullo fu-
co agnoscit se esse hominem impotem, de-
fectuosum, & humiliter, ac verè fatetur, se
esse iimperfectionibus obnoxium, seque
inculpabiliter posse errare, & in multis de-
ficere. Hoc moderamine Deo gratifica-
bitur per suam humilitatem, bonis per su-
am charitatem, iimperfectioribus per suam
impatientiam, & longanimitatem. Porrò
quamvis non omnes perfectè contentet;
attamen hoc solatio perfunditur, quod e-
jus regimen, modus agendi sit futurus gra-
tus sapientibus, & sensatis, qui Deum
benedicent, quodque nihil sine circum-
specto sensu suorum ordinariorum Con-
sultorum, & prudentiorum ædis gesse-
rit.

XX. Et præterquam quod moraliter sit
impossibile cunctis placere, & omni-
bus satisfacere: attamen ignoro, an,

F. 2

dato

dato quod hoc esset impossibile , quis tam ardenter desiderare debeat , ut omnibus gratificetur , & sese eviscerare , ut hoc fiat . Imitari in regimine Deum , facere ea , quæ sensati facienda judicat , ad hoc ut boni Religiosi contententur , est res optima , & æquum est , ut omni conatu quis hoc obtinere conetur ; cor sedulò , & exactè purgetur , intentio rectificetur , ne in hoc aliud queratur , quam Deus , facere id , quod exigit obligatio muneric . Verum angi , cruciari , affligi , si aliquis casualiter offendatur , animum despondere , deserere suavitatem , benignitatem , meo sensu sapit aliquam impuram intentionem , inordinatum affectum , aliqualem amorem proprium . Facere omnia , quæ humanitùs sunt possibilia , ut quis omnibus serviat , satisfaciat ; idcirco supportare omnes sinistros incursus , millenas calamitates , contradictiones , mortificationes , nec tamen desistere à bono cœpto , est sane virtus eminens , & cor verè Apostolicum . Ut autem clarius clucescat , num tam ferventer exoptare debeamus , ut toti mundo satisfaciamus , & quantum utilitas elici-

elicitur ex contradictionibus, oportet laborem subire legendi Caput sequens, in quo videbimus effectum incredibilem providentiae Dei, & stratagemata ineffabilis sapientiae, consilij, & dispositionis ejusdem.

XXI En verum & infallibile signum tuæ fidelitatis erga Deum, impuritatis tui cordis, & subjectionis, quâ subes tuo amore proprio? Dum aliquis desperat, & absolute non vult amplius regere, sed regimenter in quemlibet alium transferre; dum aliquis queritur, se servire ingratiss, laborare pro gente, quæ nunquam contentantur, quæ nullam gratiam, nullam recognitionem rependit iis, qui sudant, ut iis serviant. Dum aliquis autumat maximum esse cruciatum in mundo, quod nemo de iis cogitet, rem esse intolerandam non nisi malum pro bono recipere, regimen esse crucem insupportabilem, ipsosmet Sanctos illud abhorruisse, nos tutò posse eos imitari, & constanter reluctari, ne ad regimen applicemur. Hic discursus totus refertus est amore proprio, & magnam impuritatem cordis luculenter testatur;

F 3

ita

ita ut possimus ita constitutum sic affari:
Vir dilecte, tu gubernare vis, ut homines
se tibi devinctos agnoscant, ut habeas cre-
aturas, ut celebreris velut Phœnix homi-
num, & eminentis homo, qui modum to-
tum mundum contentandi invenit. An
hoc præmium à tuis laboribus expectes?
An tibi, & non potius Deo gubernes?
An autumes eum magnum oblectamen-
tum sensisse in bajulatione crucis, & hæ-
sione in eadem, ita ut nec ad totum mun-
dum salvandum ex ea descendere voluer-
it, cum sic Deo placitum fuerit? Econ-
tra nil est eminentius, quam quod homo
portet crucem regiminis purè propter
Deum, præter Deum nil querat, nil spe-
ctet, nil prætendat, ei solum obtemperet,
& omnem suum gustum in arâ aureâ obe-
dientiæ immolet. Au S. Paulus abdicarit
Apostolatum, cò quod totus mundus
contra eum insurrexit? An S Petrus ab-
jecit claves, eò quod Nero eum in crucem
agere voluerit? sanè virtus pura in mundo
valde rara est, & per pauci veri, & fideles
Servi Dei inveniuntur.

XXII,

XXII. Deum oro , meæ simplicitati ignoscat. Et an aliquid adducere possum , quo efficacius probem , & decidam hanc quæstionem , quàm si dicam , quod magnus Deus , nisi patret miraculum , nihil quasi faciat , quod suos contradictores non habeat? Quod si Deus non omnibus satisfaciat , quis omnes contentet? Deus decem dedit mandata , & hæc à paucis observantur ; reliqui ea pedibus conculcant , & pro uno adoratore Dei numerabis decem , qui eum abnegant , & suis blasphemis proscindunt. Creavit Angelos , & tertia pars rebellavit , nec potuit ferre , quod Verbum incarnaretur , & potius naturæ humanæ , quàm angelicæ uniretur. Vult exterminare Hebræos , & Moyses se opponit , & absolutè urget , vel se destruendum , vel populo parcendum. Serenitate oblectat , & flagitatur pluvia. Pluit , & serena postulatur aura. Faciat Deus quidquid velit , crit qui cavillabitur , & aliud desiderabit. Pater donat suum filium , & an putas , nil hic esse , quod possit taxari? Oggeri potest , cur eum non misit citius ? alias replicabit , cur eum non misit tardius ?

F 4

Cur

Cur eum voluit nasci inter Judæos, popu-
lum indignissimum totius mundi? Cur
editus fuit in lucem in stabulo? An faber
lignarius, & nemo aliis debuit esse spon-
sus ejus matris, pater putativus, & nutri-
tius ejus filij? Quod si debuit mori, an
non morte minùs ignominiosâ, dolorosâ
affici potuit? Et qualem gentem evexit
ad Apostolatum? fæccm hominum, lu-
tum platearum. Et eheu! an fuerint ora
tam fœtida, quæ hæc omnia, & multò pe-
jora tot horrendis blasphemis evomue-
runt, & maneant impunita? Deus hæc
omnia videt, & suffert, nec id circò lumen
Solis genti tam maledictæ unquam subtra-
hit. Vade ergo, & spera quod possis to-
tum mundum contentare, cum magnus
Deus cœli, qui solus hoc facere potest,
id non faciat, sed ordinem suæ divi-
næ providentiæ currere per-
mittat.

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

*Proponitur quæstio S. Bernardi, cur
Deus quandoque permittat, quod
bonus Abbas habeat malos religio-
sos, malus verò bonos.*

Mellifluus Abbas Bernardus idea bonorum Superiorum, proposuit hanc quæstione in Epistolâ septuagesimâ tertîâ, & septuagesima quartâ cuidam Abbatii juveni, qui valde torquebatur ob quosdam Monachos refractarios, & qui difficulter regi poterant. Hic juvenis Superior sic discurrebat: si quilibet satisfaceret suæ obligationi, nullam habere difficutatem regendi; & sic discurrendo putabat se aliquid solidi proferre, cum tamen re ipsa hic discursus arundineus, & stolidus sit. Homo stramineus posset agere Generalem Ordinis, regere quinquaginta mille Religiosos, si quilibet satisfaceret suæ obligationi; nam ad hoc non exigitur Spiritus, virtus, prudentia, nec aliud, quam oculi, ut videant omnia fieri bene, cum subditi absque auxilio, absque stimulo, ex seipsis sua faciant; & cur ergo

F 5

DEUS

DEUS permittit tot perversos subjici
Abbat tam sancto , sicut S. Bernardo per
misit subesse illum proditorem Secretari
um Nicolaum nomine, qui famâ illum di
vinum Abbatem exuere conabatur ? Mc
hercle hæc quæstio huic discursui omnino
similis est . Et cur aurum nascitur inter
venena, unio inter undas, & spumas ; rosa
in roseto toto hirsuto , & consito fatalibus
spinis ? Et cur sol ipse, ut loquuntur Poë
tæ , rotatur inter monstra constellatio
num, ursos, leones, dracones, viperas ? Sic
discurrens, ita ratiocinatur ; cur Deus de
dit Adamo Cain , & Abel ; Abrahamo
Isaac, & Ismael ; Isaaco Jacob & Esau ; Jo
seph , ejusque sceleratos fratres Jacob.
Salomonem , & Absalom Davidi ; S. Pe
trum, & Judain Christo Jesu ; S. Michaëlem,
& Luciferum ipsi Deo Patri ? Quid quo^{lo}
Deus in hac dispositione prætendit ?

Priuò, sæpè evenit in hoc casu, id quod
evenit cæco nato. Apostoli Christum in
terrogarunt : Magister, dic amabo , qua
culpâ cæcitas huic misero obvenit ? an
propriâ, vel parentum ? Christus respon
dit, nec propriâ, nec parentum , sed illam
cæcita-

cæcitatèm ei immissam, ut Deus glorifice-
tur, ejusque superna & absolute potestas
omnibus manifestetur. Profectò non raro
evenit, quod homines innocenter dimi-
cent, unus alteri noceat, vel ex antipathia
naturali, vel ex innocua diversitate regularum,
& indiciorum; vel ex exili capacitate
intellectus humani, qui res non intuetur,
nisi inverso, & medio modo, & sæpe absq;
culpâ corâ deo errat, quamvis ab omnibus
hominibus damnatur culpæ, & peccati.

Nullum est dubium, quin homines exegi
judicij condemnassent illos duos An-
gelos Danielis, S. Petrum, vel S. Paulum,
S. Augustinum, vel S. Hieronymum, S.
Chrysostomum, vel S. Epiphanius tanto
tempore, & tam obstinate disputantes;
cum tamen coram Deo fuerint Sancti, &
magni Sancti. Et sanc DEUS suâ di-
vinâ providentiâ gubernat mundum per
jugem, & immortalem pugnam qua-
tuor elementorum, quæ pace non
fruuntur, nisi per dulce bellum, quod
continuò gerunt. Oceanus non con-
servatur nisi per fluxum, & refluxum,
& atrox prælium, quod undæ, quæ incen-

F 6 *santer*

fanter illud infestant, ei movent; nam si mare semper esset pacatum, non amplius esset mare; & si inter elementa conflaretur pax, natura desineret esse natura, & omnia inverterentur. Quærere ergo, cur Deus hoc modo operetur, est magna temeritas. Suspicere è contra ea, quæ facit, & ea adorare ut meliora, perfectiora, est vera sapientia.

Et revera ad hoc propositum mirè servit dictum S. Augustini & S. Francisci: *Boni sine malis boni esse non possunt*; ita ut deficientibus in malis boni esse nequeant, adeoque malis boni commisceri debeant.

Verum S. Bernardus malos adeo necessarios esse inquit, ut si in aliqua æde non degeret aliquis Monachus inquietus, dissolutus, talis ob magnum bonum, quod ex hoc perverso oritur, dum sapienter regitur, quæri, & monetâ aureâ solvi debeat.

Dum mare est pacatum, dum ventus directè vela tumefacit, noctua vices experti Naucleri agere, & clavum moderari potest. Verum si minimus ventus adversus flare incipiat, navigantes in discrimen vitæ adducuntur. Dum omnes venti,

venti, omnia elementa, omnes undæ sæviunt, & invicem sese infestant, & exagitant, videmus, & admiramur dexteritatem præclari naucleri, cuius excellentia nunquam luculentius cernitur, quam dum omnia invertuntur, & omnis spes præcisa est.

Ad quid ergo conductit dissolutus Monachus in Conventu sanctorum Religiorum? Servit velut lima Aurifabro, ut scoriæ & recrementa avellantur, & rescidantur. Servit velut malleus, vel tribulum, quo premitur, tunditur Adamas, ut nitidus fiat, & sine quo esset deformis, inconditus, nullius æstimationis. Dicere volo perversum mirè conducere ad purificationem proborum. Si omnia facias perverse, nec tamen contentetur, id optimum est: nam id evenit, ut discas esse pacatus, & in Deo satisfacias, nec ullum alium, quam ipsum speces. Quod si quò magis ei benefacis, eò magis ferociat, & tibi excedat, eò melius est. Si ei omnia indulges, si omnia ejus facta tibi grata forent, tu capereris amore hujus vanæ satis-

F 7 stio-

factionis, eam mulceret, & vanè tibi complaceres, quod omnibus satisfacere possis, & toti mundo gratus sis. Et ita forsan perderes virtutes, meritum, & ex omnibus tuis laboribus nil aliud meteres, quam pauxillum venti, qui te amore proprio, & vana præsumptione repleret.

Præterea Deus te docere, & excitare vult, ut habeas virtutes solidas, quæ nil aliud, quam ipsum spectent. Dum Filii Israël per desertum proficisciabantur ad terram promissionis, DEUS contra eos suscitavit Gébusæos, qui, ut inquit sacer Textus, eorum oculis debebant esse festuca, lateribus lanceæ, ne declinarent à via, nec à recto tramite discederent, sed vel ex amore, aut vi absque ullo diverticulo, aut auscultatione quorumcunque novorum rectâ versus Judæam traherentur.

Homo pervicacis, petulantis frontis, qui jugiter bombylat, murmurat, qui sæpe torvis oculis te intuetur, Deo disponente tibi servit, ut amorosè adigaris, ut recto tramite ad eum tendas, omnes tuas intentiones ad eum dirigas, in ejus gaudio tuum
gaudi-

gaudium tantum quæras, absque eo quod ab eo vel ad minimum ad creaturas deflectas.

Quod si hominibus acceptus essem, forte nec Deo gratus foret, nec Deus te amaret. Ejus bonitas, quæ te cordialiter amat, tua merita dirigit, nec minimum patitur ex iis amitti.

Tu non habes perspectum stratagema ejus divini amoris. An unquam vidisti quosdam fontes crystallinos, qui profluent ex gula leonis, rorstro Aquilæ, faucibus Draconis, vel Satyri, cornibus Luciferi, quem S. Michaël pedibus conculcat? Illi qui ex eo bibunt, non horrent illa fœtida animalia, quæ eos evomunt, sed potius admirantur artem Artificis, & adorant bonitatem naturæ, & misericordiam Dei, quæ aquas tam limpidas, tam sapidas propinant. Imaginem in vobis Deum per illa ora putrida stillare aquas crystallinas puriorum, & illustriorum virtutum. Hoc medio tuam humilitatem efficit veram tuam patientiam invincibilem, tuam charitatem adeo sublimem, ut benefaciatur illi, qui mel tuorum beneficiorū convertet

vertet in fel amarissimarum offensarum, & ingratitudinem ; dulcedinem tuæ benignitatis in absynthium, quod jugi amarore te cruciabit, convertet. Ast enim, an desineris esse flos ex timore, ne aranea ex eo sugat venenum : aut abjiceres tuam bonitatem ex metu , ne aliqui ea abusuri sint?

Porrò adhuc aliud tibi dico , nempe quod nunquam sis futurus bonus Superior , nisi aliqua adversitas tibi obveniat ; cum verum sit , uti & verissimum est , quod *optimus Superior sit perpetuus crucifixus* , & vita boni Superioris sit iugiter pendere affixum cruci. Boni Superioris , inquit S. Bernardus , dum nulli malum inferunt , pro cruce dant flores virtutum , & sanctissimarum operationum. Soli perversi te exagitant , te crucifigunt , & verum ac Apostolicum Superiorem te efficiunt: *Boni portant te* (inquit idein S. Bernardus Epist. 74.) *tu malos portas.* An mireris , quod Abbatis munere fungens debeas terere hanc plateam? Quamvis esses Apostolus , can dem

dem calcare deberes. Dum S. Joannes, & Jacobus primas sedes ad dexteram, & sinistram Christi prætenderent, Christus iis respondit : an possitis epotare calicem, quem ego epotatus sum? Quin immo replicarunt, eumque & quidem generosè exhauserunt. Et quid inde evenit? Primo cum sinistra sit malum omen, nterque fuit collocatus ad dexteram sui Magistri, immo unus ad dexteram, alter in ejus sinu, vel ut melius dicam uterque cordi Jesu invisceratus fuit Quid ergo sit esse bonum Abbatem? Bibere calicem Christi. Boni non propinant aliud, quam ambrosiam, nectar, lac, vinum præstantissimum millenarum egregiarum virtutum. Si tua domus exhiberet Paradisum terrestrem, te ipsum inebriares: Verum discolus, & malignus calici infundit vinum mixtum felle, & amarissimâ myrrha, per quod evades in superiorem illustrem, & virum secundum cor Dei. Si Davidis regimini nullus alius superfuisset, quam Salomon, nec medietas virtutum, & inter has magis illustres nunquam comparuisset, nec virtutes suâ venustate, ac perfectione mundum rapuissent. Per

Abs-

Absolonem innotuit Davidem verè fuisse
Davidem, & hominem secundum cor Dei.
Non oves eum crearunt ~~et~~ Pastorem, &
Regem Judææ, sed ursi dilaniati, leones
discrepti, Gigas prostratus, Saul tanta ma-
gnanimitate superatus, Dæmon ejus in-
victâ patientiâ fugatus, & victus. Hi fue-
runt duodecim leones, per quos adscen-
det ad solium regale, non secus ac Salo-
mon per tot ascendit ad thronum ebur-
neum. Per eandem viam subi~~g~~in subli-
missimum apicem perfectionis, & regimi-
nis Apostolici.

Verùm enim verò, à capite recordia-
mur, & quæramus, cur Deus sæpe bonis
Abbatibus subjiciat perversos subditos,
& discoli Abbatibus subditos probos?
S.Bernardus, S.Thomas, S. Bonaventura
varias assignant causas, quas subjicio.

I. Prima est, quamvis boni Religiosi sint
gratiore*s*; attamen discoli sunt utiliores.
Boni suas tantùm spectant virtutes, te laudant,
te prædicant, adeoq; ut inquit Spiritus
S. cum illi, qui nos laudant, nosq; exaltant
usq; ad tertium cœlū, ac si essemus beati; nos
deprimunt, alliciunt ad vanam complacen-
tiam,

tiam, nostros defectus offuscant, & pallio
charitatis involvunt, nobis nocent. Discolli
è contra nobis prosunt; cum enim no-
stros defectus aperiant, nobisque illos
objiciant, & ostendant quales simus, nos
abdunt sub cinere humilitatis, & ignem
veræ virtutis in nobis melius conser-
vant, quod quidem aīnarum est ori, sed
cordi dulcissimum. Nunquam homo, in-
quit Plutarchus, potest esse verè virtuo-
sus, nisi habeat bonum amicum, & bonum
inimicum.

II. JEsus Christus dixit: Quamvis o-
mnia feceritis; attamen ingenuè fateami-
ni, vos omnino servos inutiles esse.
Quandoquidem homo sāpe in suis bo-
nis intentionibus valde labitur, & ad
radios suarum prālustrium, & bonarum
operationum vacillat; nec aliud in iis
cernit, quām lucem, & bonitatem, adeoq;
difficulter adigi potest, ut candidè con-
fiteatur, se esse servum inutilem, &
nullius frugis; Quid facit: unitas Chri-
sti? disponit, ut hæc, & milia ab ali-
quo propalentur, & ita suaviter cogit,
ut

ut agnoscat suam debilitatem, & impotentiā, quod oppidō necessarium est, & maximē utile. Is qui fixē intuetur Solem, oculos adeo habet refertos luce, ut quidquid intueatur, non videatur sibi aliud videre, quàm soles. Impinge ei alapam; caput ejus valido ictu saluta, & absque dubio non videbit amplius soles, sed cogetur deprimerē caput, & videre suos pedes valde sordidos, & luculentos. Quamdiu aliquis fixē intuetur sua bona opera, suas bonas intentiones, nil aliud videt, quàm certum splendorem, hoc oblectatur, videtur habere solēm in capite, & quidquid agit, à se bene peragi. Quod si aliquis suā pravā linguā eum valde percutiat, sentit ictum, caput deprimit, agnoscit suam impotentiam, & cogitur repetere illam antiquam sententiam: *In omni homine magna est mixtura, & virtutum, & vitiorum.* Quamvis aliquis sit Angelus: attamen quandoq; debet agnoscere: quod sit homo, & consequenter quod debeat esse subjectus multis defectibus, quos agnoscit, & multò pluribus, quos non agnoscit. Viden' ad quid conduceat mala lingua.

III. Imperium insensibiliter placet,
ubi-

nilque regimine naturali est dulcior. Non nemo in principio sese sinit trahi, reptari ad Prælaturam, sed sensim eam incipit appetere, & natura, quæ antea opprimebatur sub jugo mortificationis, resumit suos spiritus, & adeo intumescit, ut major vis debeat adhiberi, ut Prælaturam relinquat, quam adhibita fuerit, ut eam assumeret. Ille est perfectus, quilibetius, vel ad minus eadē promptitudine & gustu dimittit Prælaturā, quam eam assumperit. Ut Deus homini tale desiderium instillet, cum videat illud à natura nunquam produci, permittit, ut aliquis veniat transversim, & ex obliquo, & tot spinas, tot ærumnas in hac via seminet, ut vel ex amore, aut coactione desideret ab ea liberari, liberationem enixissimè postulet, & dum fit voti compos respiret, & in Paradiso sese degere putet. Et hanc magnam utilitatem adfert perversa lingua.

IV. Fercula quidem delicata nutriunt, sed malos humores augent, & sanguinem corruptunt; ita ut sanguis sanus sensim putrefaciat. Lingua mala, inquit Plutarchus, est velut bona sanguisuga, quæ omnem

san-

sanguinem corruptum exsugit, ita ut bonus faciliter purificetur, & homo perfectus sanitati restituatur. Nemo tanta virtute est praeditus, ut à natura non subjugetur alicui defectui, & in eo aliquis sanguis corruptus non generetur. Ille Spiritus inquietus, & malignus, qui cruciat illum miserum, & innocuum Superiorem, illa lingua viperina, illa acuta novacula, quæ omnia perforat, est sanguisuga, quæ permittente Deo mordet, & maximum commodum adfert. Operari bene est deliciosum, regium. & haud multum difficile. Semper supportare, pati, inducit languorem. Operari bene, sufferre malum, & in hoc esse generosum, & obfirmatum, inquit S. Bernardus, est viri Apostolici. Mala itaque lingua est alterum, quod exigitur ad fabricandum tuum. Apostolatum, & sine ea non fies unquam Apostolus; nam iis non fuit dictum: *In charitate vestra, aut beneficentia vestra, sed in patientia vestra possidebitis animas vestras.* Quod si hæc sint leges Evangelii, cur eas non conaris sequi, & practicare?

V. Bo-

V. Bonus Religiosus opera facit Angelica , ideoque laudatur & nuncupatur Angelus Paradisi. Et forsan evenire potest, quod hoc sensibiliter credat, & opera in fumum vanitatis abeant. Deus itaque permittit , & disponit, ut aliquod caput leve, dissolutum, indiscretum aliquo verbo mordaci eum pungat, cor transfigat, per quod ad se redeat, & recordetur se esse hominem. Alexandrum Magnum palpabant, euinque Deum proclamabant. Porro dum quadam vice sagittâ dirè sauciatus videret ubertim ex vulnere sanguinem manare , conversus ad suos adulatores , sic eos affatus est : & an vobis hic ater sanguis, qui profluit ex hac plaga, videatur esse sanguis Dei , vel hominis mortalis ? Dum Imperator rhedâ aureâ vestitus Victor urbem intraret, eodem curru vehebatur quidam servus , qui ad ingressum cuiuslibet plateæ vociferabatur : *Memento te esse hominem*, ac si dixisset ; illi fatui te vocant Cæsarem , & dicunt te esse Deum terrestrem ; sed scias te re ipsa non fecus ac alios esse in serum, & terrenm hominem,

Abbas

Bo-

Abbas, quivitam S Bernardi conscripsit, refert, quod dum Sanctus miracula patrare inciperet, ejus avunculus, & frater jugiter eum infestarint, ejus temeritatem accusarint, quod auderet patrare miracula, & ita cor ejus cruciarunt, ut ei lachrymas excusserint, & pudore ac confusione eum suffuderint. Interim Historia observat, Deum hos excitasse, ut sanctum Abbatem intra limites modestiae continerent. Hoc itaque Deus prætendit, dum Abbat probo dat aliquem Monachum dissolutum; sicut Angelum Satanæ dedit S. Paulo post ejus miras extases, & raptus usque ad tertium cœlum, ut eum humiliaret, & ad suum nihilum revocaret.

VI. Religiosi boni, & probi magis quidem profundunt Religioni; sed discoli magis profundunt Abbat, aliisque Monachis. Hi discoli sunt tineæ, quæ arrodendo destruunt pannum, & lacerant nodos, quo deformatur. Sunt limæ, quæ poliunt cor, sunt leones, qui custodiunt Danielem; sunt Semeli, qui maledicunt David, ut à Deo majoribus benedictionibus repleatur. En verba aurea S. Bernardi meritò ponderanda:

randa : *Elige ergo* (inquit Epistola 73. ad Abbatem Funiacem Reinaldum) *quos eligas, aut qui gravando juvant, aut qui juvando gravant; quantum gravaris, tantum lucraris, in quantum juvaris, tua præmia minuis.* Illi, qui te exagitant, vexant, coram Deo tibi sunt valde utiles, & majus bonum tibi conferunt, quām omnes alij ex Monasterio. Prælati impatientes, & valde imperfecti nunquam pacantur, nec quiescunt, donec amoveantur hæc maligna capita, iisque amotis se miracula putant patraturos. Verūm re ipsâ hoc est maxima impotentia animi, & virtutis, & grandis infidelitas. Deus illum inquietum subditum tibi assignavit, velut Angelum Custodem tuarum virtutum, & velut pharmacum præservativum, valde necessarium. Quomodo ergo tu velis eum è domo ejicere? Dum servi David vellent abigere, & occidere Semei, David sese opposuit, cumque defendit dicens : *eum agere relinquerent; an vos sciatis Deum non disposuisse, ut his conviciis me laceret, ut dum ego cum humiliter suffero, ejus infinita bonitas mihi sit benedictura, & me pristinæ felicitati restituta?*

G

tutura?

tutura? Os quod evomit has injurias,
plura bona mihi conferet, quam omnes
illi, qui me honorant, & mille elogii me
cumulant.

VII. Probi tuâ operâ non indigent;
absque te rectâ ambulabunt, ex se perfe-
ctè præceptis regulæ satisfaciunt, & qui-
libet sibi ipsi Prælatus est. Tu in nihilo iis
servis; quinimmò ipsi portant, & suppor-
tant tuas imperfectiones, & sanctitate suæ
vitæ te consolantur; non magis indigent
Prælato, quam facellum Pontificium, in
quo nemo designat modulos, nec increpat
alios, aut dissonantiam corrigit; cum o-
mnes sint Magistri, & quilibet ex se pau-
set, & intonet; Indigit Phonasco, ita ut
mutus Phonascum agere posset. Non
absimiliter inter probos Religiosos Ab-
bas non est oppidò necessarius; nam qui-
libet facit, quod suum est. Ut ergo dicam,
quod res est; Prælati instituti sunt pro im-
perfectionis, quos Deus tibi dedit. Prælatus
est imperfectorum. In hunc fine in S. Petro
non fuerunt apposita fercula Angelorum,
Sanctorum, electuaria saccharata Paradisi,
sed Dracones, Tigres, Leopardi, dicendo:
Occide Petre, & manduca. Occide imperfe-
ctio-

ctiones tuorum subditorum; allabora ut
necentur monstra passionum eorundem,
& postea ea devora, & calore paternæ cha-
ritatis digere. In hoc Petre, eris meus Vi-
carius, & verus Pastor mearum ovium.

VIII. Et an non sit magna simplicitas
velle à nobis abigere subiectum generosi-
orum actionum, quæs elicere possumus, &
materia nostrorum glriosiorum trium-
phorum? Venite inquietabat Sponsus, & co-
ronabimini draconibus, leonibus, mon-
stris, quæ commorantur in asperioribus, &
abditioribus montibus. Et cur non potius
eos coronat stellis? Cur eos non ornat so-
le? Cur eorum pedibus non substernit lu-
nam? Hoc quidem foret magis splendidū,
& pomposum, sed illud est magis utile, &
proficuum. Non absimiliter valde glorio-
sum est S. Abbatii, quod similia capitare re-
gat. Sed hi dracones conversi in soles,
& in nobilissimum diadema quadam die
erunt ejus opulentissima, & pretiosissima
corona. Mei Sacerdotes, inquietabat
Deus in Levitico, comedent peccata po-
puli. Et cur potius non eos cibos virtu-
tibus, & condimentis perfectionū earun-
dē? Vera charitas nō consistit in amore, &

G 2

regi-

regimine bonorum; nam hoc potest facere infans, sed in supp̄ortatione, & regimine imperfectorum, & capitōforum. In hoc Prælatus debet ostendere fidelitatem sui cordis; in hoc propriè elucescit, quod sit verus filius Dei, verus Abbas, verus Su-

Matth. perior: *Benefacite iis, qui oderunt vos, ut sitis*
Filiī Dei. Si benefaciatis iis, qui vobis malefaciunt, ostendetis vos esse veros Filios Dei. Reliqua, inquit S. Thomas, subjacent dictiis, conviciis, murimurationibus; nam si benefacias bonis, hoc etiam faciunt Turcæ, & ipsimet barbari amant illos, à quibus amantur; nam aliàs effent Tigres, & Leones. Et unde scias, quod dum benefacis bonis, id non proveniat ab inclinatione naturæ, sympathia, aliquo occulto commodo, ab eorum meritis, vel aliquo respectu humano; ita ut coram Deo nihil, vel parvum merearis? Verùm à solo Deo, qui ut jubet, venit, ut quis malis benefaciat; ideoque meritum est perfectum, securum, expers omnis commodi, omnino purum, & integrum. Porrò hoc Deus prætendit, dum tibi subjicit tot maligna, & inquieta capita.

IX. Dum

IX. Dum Deus vellet assignare causam Moysi, suoque populo, cur eos inter brachia, & pedes tot Jebusæorum conjecisset, hanc unicam assignavit dicens se id fecisse, ut eorum amorem experiretur. *Tentat vos Deus, ut sciat utrum diligatis eum ex toto corde vestro.* Dicitis quod eum sincerè ametis, sed ille immittit hos Jebusæos, ut videat, num verum dicatis. *Quod si re ipsâ Deum ametis, etiam amabitis hos perversos.* Quod si hos non ametis certi estote, quod multò minus Deum ametis, quamvis contrarium videatur; nam illudimini, & vestrā impatientiam palpatis, vobisque blandimini. Vos vestram impatientiam coloratis zelo, & desiderio, ut exactè observetur Regula; sed in veritate Regulam destruitis; Experimini paulisper, & urgete ejus obseruantiam, per amorem & patientiam, nec sub quocunque prætextu ab hoc desistite, quod si hoc non faciatis candidè fateamini vos exigua virtute præditos esse.

X. Verùm enim verò replicabitis: omnes alij sunt Angeli, & Conventus sine illis discolis Paradisus foret. O sanctam simplicitatem,

G 3

tatem,

tatem, & verum amorē proprium! An credatis, inquit S. Augustinus, si hoc foret melius, Deum id non facturum fuisse? Quinquaginta Angeli, quibus præs, simul sumpti non tantum prosunt, quantum prodest ille miser homo, qui adeo te vexat. Erit forsan quadam die major sanctus totius tuæ ædis. Et an non perpendas, quod omnia, quæ facit, non proveniant ex malitia, sed ex prava inclinatione naturæ? An non recognites Saulum ex perversissimo Phariseo evasisse in primarium Apostolū Christi, & forsan illum miserum plus laborare, plus mereri, ut faciat illa pauca opera, quæ facit, quam laboret, & mereantur omnes illi Angeli, qui nullum laborem adhibent, ut bene operentur, & sancti fiant? Tandem esto sibi non multū boni operetur, tibi forsan plus boni operatur, quam omnes alii simul.

XI. Quamvis haberes omnia talenta mundi, si non habeas donum Spiritus Sancti, & virtutem sufferendi indiscretiones aliorum, nihil facies, quod valeat, nec eris aptus, ut sis Superior, & converseris cum hominibus. Seneca libro de Beneficiis quadam die dicebat: Non est magnum beneficia dare, & perdere, hoc magnum est, perdere, & dare.

dare. Benefacere bonis non est res magna, & difficilis. Verum benefacere ingratis, indubitanter res est ardua, nemoque negare potest, quin hoc sit difficillimum. Perdere omnia beneficia absque eo, quod is cui illa præstitisti, vel minimam gratiam rependat; quinimò ea in partem sinistram interpretetur, & mala pro bonis referat, immò & ulterius magno gusto novis beneficiis cumules, hoc verè est animi regii, & divini; & est illud, quod inquit S. Gregorius: Quod inter Divina divinissimum sit alios gubernare, nec tamen à regimine desistere. Fateor hoc esse difficile; sed pariter fateri debo, hoc esse lapidem Lydium boni Superioris, apicem meriti, cōtem veræ charitatis, modum faciendi aliquem totum Apostolicum. S. Ignatius anceps hærebat, num deberet fundare Societatem, vel intrare Religionem relaxatā, ut supportando abusus invictâ patientiâ, eam reformare, pristinoq; vigori restituere possit. Tanti faciebat charitatem, quæ omnia suffert, omnia sustinet, omnia sperat, nec unquam fatigatur, & sifit.

XII. Concludo igitur, & dico juxta mentem S. Augustini, ad conservationē Com-

munitatis exigi, ut in ea semper sit aliquis,
qui Prælatum exerceat, & vexet. Sponsus
Cant. 8. in Canticis dicit: *Surge Aquilo, veni Auster,*
perfla hortum meum, & fluent aromata. Age-
dum prosili aquilo, sævite Favonij, & quan-
tum potestis, meis hortis nocete ; nam
fragrantiorēm odorem spirabunt. Et cur
accersit Aquilone m., qui flores arefacit,
omnia corrumpt, & destruit? Dicere vo-
luit, sanctitatem Superioris nunquam flo-
rescere, nunquam emittere fragrantiam
conspicuarum virtutum, nisi exerceatur ab
Aquilone alicujus linguae murmuratricis,
quæ suis maledicentiis, & dicacitate mor-
tificat virtutes eorum, quos perstringit.
Discolus itaque subditus præbet ansam,
& modum superiori, si hic velit, acquiren-
di. 1. Humilitatem valde solidam. 2. Cha-
ritatem valde puram. 3. Magnanimitatem,
regiam. 4. Patientiam invictam. 5. Claris-
simam cognitionem propriorum defe-
ctuum. 6. Purissimum, & sublimissimum
meritum. 7. Intentionem valde rectam. 8.
Virtutem ab omni concupiscentia libera-
& quæ nullum præmium expectat. 9. Man-
suetudinem Jesu Christi. 10. Conformati-
tem

tem aptatissimam cum voluntate Dei. 11.
Modum nil aliud quærendi, nisi Deum. 12.
eum & què reperiendi in bonis, quàm in a-
malis: immò faciliùs in malis quàm bonis. 13.
acquirendi Dominum suarum passionum.
14. Evadendi in virum Apostolicū. 15. Cor
secundum cor Dei, quod libenter coope-
ratur cum omnibus ejus dispositionibus,
& quidem non raro cum jactura propriarū
satisfactionum. 16. Tandem supportatio
levium defectuum eorum, qui graviores in
superioribus sustinent, est medium, quo
quis in cœlo magnus efficitur sanctus. Hęc
est regula perfectionis: *Alter alterius onera
portate, & sic adimplebitis legem Christi.*

Et sanè hunc brevem discursum non pos-
sum conventius sigillare, quàm hac aurea
sententiā Thomæ à Kempis: *Beatus qui pro* Thom.
contrariantibus sibi libenter orat, & ex corde cul- à Kemp
pas indulget, & faciliùs miseretur, quàm irasci- lib. 1.
tur. cap. 24. Quod si discoli hoc non mereantur,
Christus hoc promeritus est. Et an hoc
deneges Christo, qui amore sui Patris, bo-
nitate sui cordis, pretioso suo sanguine,
pro præmio & mercede eorum, quæ ipse
pro nobis gessit, hoc flagitat? Quotidie
vobis aliquem ignoscit defectum, meritò

G 5

itaque

itaque amore ejus sustinetis defectus vestrorum confratrum, & occasione illos supportandi magnam aestimatis, ut testemini Christo, quod tenerè ametis omne id, quod vobis commendat, & illos, quos vestro imperio subjecit.

CAPUT OCTAVUM.

Exprimitur idea boni Prælati in persona sanctissimi, & illustrissimi Episcopi Genevensis.

Profectò nostro ævo difficulter inventimus ideam ditiorem, faciliorem iinitatu vitâ S. Francisci Salesii Episcopi Genevensis. Et quidem primò dicebat id, quod ego per transennam tetigi, nullum quasi extitisse, quam Deum, & ipsum, qui amarat pauperes peccatores, eorumq; defectus sustinuerat. En ergo quædam delineamenta ejus regiminis, en quasdam regulas, quas lequebatur.

I. Et quidem ante omnia jocando dicebat, se esse omnipotentem, & quidquid vellet, se posse facere; nam ex una parte nil aliud volebat, quam quod vellet Deus; ex altera

altera verò nil aliud expectabat, vel prætendebat ab hominibus, quām quod intra terminos debiti commodè possent facere. De reliquo, quod non obtinebat uno die, non sperabat in mense, vel anno.

II. Quod si coram eo aliquis Religiosus, velut mansuetus, aut magna virtute conspicuus laudaretur, actutum interrogabat, an non aliquando fuisset, vel nunc esset Prælatus; nam uti dicebat, multi dum non moderantur habendas, nec aliud habent onus, quām seipso; sunt valde probi: Id autem, ut veritatem dicam, in multis non est alia virtus, quām cessatio à vitiis, & imperfectionibus. Verùm quod si aliquis sedeat ad clavum, gemat sub aliquo pondere, debeat regere, & supportare alios, tunc prodit, an ejus virtutes solidæ sint; si enim habeat veram charitatem, qua sustineat defectus suorum Subditorum: Si habeat humilitatem, qua toleret despectus: Si habeat prudentiam, qua expectet, ut audiatur, quæ fieri debent, ac ita omnia mature fiant: Si reprobat quendam falsum zelum, qui re ipsâ nil aliud est, quām impatiens, is solidè virtuosus est. Verbo ex his

G 6 cluç-

elucescit, num homo solidas virtutes habeat, vel non: secus non credam, nec dicam aliquem virtuosum; nam s^epe video, quod fictio venditetur pro virtute, & rideo quosdam monitores, qui in omnibus inveniunt, quod culpent.

III. Verum enim vero, non nemo quadam vice sic cum affabatur: Reverendissime Domine, tu toties vadis Genevam, ut tractes cum illo stupido sene Beza viro perversissimo, & quidem tam reverenter cum eo agis, ut re ipsa non parvum scandalum praebreas. Cur quæso, cum sis Praepositus, tuum tempus non impendis melius in negotiis Dioecesis, cuius quandoque es futurus Episcopus? Cur non conversaris cum bonis, in quibus magnum lucrum reportabis? Hem! replicabat ille incomparabilis Praepositus; An non recorderis, quod Christus non tam venerit in hunc mundum pro justis, quam ut vocaret peccatores quodque S. Paulus dicat, nunquam è cœlo auditum gratius verbum, quam Deum descendisse in terram, ut salvaret peccatores, quorum primum se nuncupabat? S. Paulus? Quod si debea-

debeamus imitari nostrum bonum Magistrum , & esse potius pisca tores peccatorum, quām justorum, qui nostrā operā non indigent , quid ego non faciam pro Beza, & pro omnibus aliis, quod aliquis prædicator in hoc mundo facere potest ? Beza est ovis errabunda ; an erga ego eum non cruam è faucibus lupi, & ad ovile reducam ? Potius deponerem mille mitras, peda, quām curam peccatorum, compassio nem, & tolerantiam defectuum.

IV. Ast enim Reverendissime, tu nimis bonus es, & suavis ; discoli abutuntur tuā indulgentiā , & forsan eam irrident. In tuis ædibus scelesti videntur gratiores ; nam quamvis eorum perversitas tibi sit perspectissima : attamen eos complecte ris, ac si essent tui filii. Sed enim bonus Prælatus regerebat , rem esse præclarām, ob nimiam clementiam damnari. Et cur enim Deus Patervocatur Pater misericordiarum , & Verbum incarnatum vocatur Agnus sine felle : Spiritus insuper sanctus non comparet nisi in forma candidæ columbæ, quæ est ipsa suavitas ? Quod si ali quid nobilius esset hac infinita benignitate

G 7 Dei,

Dei, Deus hoc revelasset, cum tamen velit duo tantum, neimpe humilitatem cordis, est inasuetudinem ab eo discamus. An ergo me impediatis, ne discam lectio-
nem, quam Deus mihi dedit, & ne imiter
virtutem, quam tanti aestimat? An forte
simus sapientiores Deo?

V. Dum superiores querelis lacesse-
rent imperfectiones suorum subditorum,
& nimis relapsus in eosdem defectus,
ideoque vellent officio renunciare, co-
quod defectus corrigere, eosque diutiis
sufferre non possent. Sanctus vir incipie-
bat ridere, & amabilissimo rubore suum
yultum tingens dicebat: Sed hem! mea
charissima soror; an tu nullum committas
defectum? an nullum unquam te com-
missurum putas? Quod si aliquem de-
fectum committeres, an velles subito
conjici in carcere, vel velut incorrigi-
bilis præcipitari ex fenestra? Religio non
est composita ex personis perfectis, sed
iis qui adspirant, & tendunt ad perfectio-
nem. An putas apicem perfectionis
octo dierum spatio posse attingi? An
tu hunc apicem attigeris? Quantum
tempo-

temporis insumpsisti? Quamdiu in illo
manebis? Et dato quod illum attigeris,
viden' amabo, an ad illum non subieris
ex gratia speciali Dei, & indole naturali,
quam Deus tibi indidit, quæ nullam ha-
bet reluctantiam, nec difficultatem in
faciendis bonis? An velis cogere Deum,
omnibus conferat easdem gratias, quas
tibi contulit? An velis adigere totum
mundum, ut ejusdem tecum sit genii?
An non consideras molestias, difficulta-
tes, quas experiuntur tuæ miseræ filiæ
in donatione validæ naturæ supra mo-
dum virtuti rebellis? Minima adversitas,
minima tentatio superveniens tur-
babit harmoniam omnium tuarum virtu-
tum, & tota eris alia, quam modo es. Et
quid tunc dices, nisi quod putaris, te
præditam multis virtutibus, cum tamen
hæ non fuerint aliud, quam exercitium,
quod ortum duxit à bona natura & indo-
le? Tunc veniam rogabis, quod tam exigua
charitatem exercueris. Ego quoad me
nolo obtinere hanc veniam, & potius
tunc volo, & satius censeo compati infir-
mis, eosq; sensim sanare, quam eos nimis
pelle-

pellere, & urgere, & ita charitatem, ac pa-tientiam rumpere.

VI. An velitis scire , qualiter rexerit quædam capita indomita ? En arcum. Dum quadam die quidam nobilis irâ per-citus juxta ædes ejus strepitus edidisset in-tolerabiles, ac horrendos ululatus canum, hinnitus, equorum, à nonnullis famulis in-solentibus edicurasset, ac ad Episcopi cu-bile accurrisset, ac mille convicia evom-uisset, verba indignissima totius mundi ef-futivisset , bonus Prælatus oculo toto suavi, & benigno notavit illum furiosum, nihilque ei dixit. Nobilis se contemptum esse existimans rabiem auxit : Sanctus ve-rò vir silentium, & modestiam. Tandem dum totus perculsus ad se rediret, quidam honoratus vir , sic eum affatus est: Re-verendissime Domine ; quomodo sufferre possis hunc insolentem , & linguam com-primere in occasione tam indigna ? Audin' charissime , inquiebat S. Prælatus , ego cum lingua mea pactum inivi inviolabile, & in-dissolubile ; quamdiu meum cor inflam-matum , & alteratum est, nec lingua mussi-tare debet ; sedata autem irâ lingua dicet, quod

quod volet. Et quomodo melius quam silentio hunc miserum docere possem modum bene loquendi? Quomodo melius bilem sopiet, quam videndo meam taciturnitatem? Post paucas horas pœnitabit, veniam à me rogabit. Quod si illam à me non flagitet, ego ibo, & quidem lubens flagitabo. An vestro sensu non debeamus compati misero homini bile inflammat? Si DEUS ita nobiscum ageret, de nobis actum foret. Nullum unquam pœnituit silentii, sed saepe nimiorum verborum.

VII. Quadam vice interrogatus fuit, an optandi essent Superiorcs, qui nullum unquam commiserunt defectum, quippe essent speculum sine macula, sine imperfetione, & qui nullum darent pravum exemplum? Sanctus vir ridere cœpit, sed risu Paradisi, & dixit: Cavete, ne talia desideria inutilia & absolutè impossibilia fovetatis: nam Deum rogare debemus, ut tales è cœlo mitteret; nam hæresin saparet, si quis diceret, dari homines nullum, habentes defectum. Quin immò dato quod aliquis è cœlo descenderet, qui esset impeccabilis, adhuc aliquid ei objici posset,

set, & dici id, quod quondam fuit dictum
alicui antiquo: *In hoc errat, quod nunquam
errat.* Ei nulla adhiceretur fides, quia
omnes dicent eum nescire, quid sit fragili-
tas humana. S. Petrus graviter peccavit,
& interim creatus est pastor universalis
ecclesiæ. Ne intuearis defectus, sed vir-
tutes. Quò Prælatus est imperfectior,
eò purior est tua obedientia.

VIII. Dum Apostatæ, vel quædam ani-
mæ desperatæ ad eum recurrerent, dilata-
bat suum cor, easque velut suos filios pro-
digos recipiebat. Bene veneritis, inquic-
bat, filioli mei charissimi, venite, ego vos
amplector, & cordi meo adstringo. Deus
& ego vos juvabimus, ne desperetis, ego
omnia faciam. Ostendebat illis omnem
dulcedinem sui cordis, omnia viscera, suos
oculos. Reliquos hic modus agendi ma-
lè habuit, scandalizabantur, & dicebant,
discolos illa lenitate, & impunitate exci-
tandos ad malum. Videte, inquietabat, hæ
sunt inæ oves; Christus iis dedit totum
suum sanguinem; an ergo ego iis negem
lachrymas? Hi lupi transformabuntur in
Agnos, & erit dum nobis sanctiores
erunt.

erunt. Si Deus Saulum abjecisset, Ecclesia non habuisset S. Paulum. Habete parum patientiae, & exiguum iis exhibete charitatem. Ego quoad me eos potius volo alegare ad purgatorium, quam ad infernum. Et quibus velis facere misericordiam, nisi miseris peccatoribus? Deus me misit, ut eos curem, & ex abyssu eruam; an ergo velitis, ut relucent, & contradicam? Revera non habeo cor tam angustum, ut ita crudelis, & durus sim. Vel cum iis pereundum est, vel laborandum, ut salventur. An non sint mei filii, & mea viscera? Sciunt me illorum esse Episcopum, sed potius volo me eorum ostendere matrem. Si quis velit rigorem, eum a me non petat, quia nec nomen severi habere volo.

IX. Reverendissime Domine, tu sapientius dixisti Superiorem debere esse cordialiter; verum quid sit cordialitas, quam tanti aestimas, ut gubernes animas, & cor lucreris? Ut sciamus, quid sit cordialitas, inquietabat bonus pastor, deberimus habere cor patris, vel matris, aut cor patris & matris simul. Illa afflita mater, cuius viscera commovebantur, dum charus ejus

ejus filius in duas pares secundus erat, hoc
me melius dicet. Hæc res non docetur
per præcepta, aut mellea verba, sed per af-
fectuosam, & cordialem praxin, quam
charitas producit in nostris cordibus.
Hanc rem te decebit pater filii prodigi,
qui suum filium recipiebat brachiis apertis,
oculis stillantibus lachrymas, corde am-
plissimo, toto ignito, teneritudine cordia-
li, gaudio ineffabili, & incomparabili.

Cordialitas itaque boni Superioris pri-
mò consistit in hoc, quod habeat cor valde
tenerum, quod semper inclinetur ad ve-
niā, & excusandam aliorum fragilitatem.
Secundò quod testetur bonitatem sui cor-
dis dulci affabilitate, quæ suam suavitatem
diffundat in omnia sua facta, & dicta, ut
cuilibet sit summè gratum, & amabile,
cū omnibus notum sit, verba dura, sicca
esse omnibus odiosa. Tertiò ut habeat
vultum plenum suavitate, & benignitate,
ita ut persona demulceat. Videbis quan-
doq; alios, qui nimis torvis spectant ocu-
lis, qui semper tonant, qui omnia dene-
gant, vel gratiam tam illubenter conce-
dunt, ut gratiam cum gratia amittant, nec
ullus

ullus iis gratus sit. Quartò ut in conversa-
tione sit totus suavis, & sedatus, ut ejus
verba sint candida, sincera, columbina, na-
turalia, absque fuco, præcipitantia, absq;
nimiis ceremoniis, nam ubi est violentia,
ibi exulat cordialitas. Verùm unctio Spi-
ritus S. & gratia Christi hæc omnia per-
fectè docet.

X. Hic sanctus vir hæc omnia perfectè
habuit. Ejus Diœcesani dum ad eum veni-
rent, diversas personas inducebant: aliqui
eum laudabant, aliqui eum adorabant; ali-
qui pessima dicteria contra eum evome-
bant: aliqui ei ruinam minabantur; aliqui
sclopeta in ejus fenestras explodebant; ali-
qui , & quis hoc crederet? mille injuriis
eum prosciderunt. Interim hic homo cor-
dialis, vel totus cor, vel totus amor faciem
semper monstravit modestam oculos co-
lumbinos, verbatam suavia, tam amabilia,
cogitationes tam paternas, modum agen-
di tam attractivum, ut quatuor verbis illos
lupos in agnos mutaret. Adulatoribus re-
spondebat: sincere fateor, vos me multò
meliores esse: Franciscus Salesius est mi-
ser homo, uti Deus, & meus Confessarius
bene

bene sciunt. Christus Dominus, & Angeli magnum festum agunt, dum miser peccator convertitur. Et an ergo nolitis me lætari, dum aliquis miser postquam millies me afflxit, & cruciavit, sese meis brachiis committit? Jesus Christus fuit benevolentior erga malos, quam bonos; nunquam maiorem præ se tulit lætitiam, quam dum cum iis comederet, dum miracula patraret, dum eos ad pœnitentiam, & veniam recipieret. Adeo verum est, quod regimen debeat esse dulce & cordiale, si quis hominum corda lucrari velit.

XI. Quadam die non nemo ei dixit: Illusterrime Domine, & quid faciendum cum iis, qui jugiter relabuntur, & qui centies ob eundem defectum debent reprehendi? Quomodo? respondit: faciendum est id, quod dixit Christus, nempe iis condonandum millenis, centenis vicibus, immò toties, quoties peccant, & per totam æternitatem; cum enim eos Deus supportet, an eos non debeat supportare homo? An non satis sit, quod tandem resipiscant, & convertantur? Quinimmò esto nō converterentur, an ex parte nostranō debeat mus

mus facere id, quod possumus? An forsan non sim Episcopus peccatorum, & que a*ct* justorum, qui oper*a* me*a* non indigent? An opilio instituatur tantum pro ovibus adipatis, & sanis, & non morbidis, ac errabundis? Et quibus servit Medicus, an sanis, vel infirmis? Pro quibus venit Christus, an pro justis, an peccatoribus? An tibi charitas videatur tantum facta pro bonis, qui tu*a* opera non indigent, & non promiseris, ac omnibus derelictis? An humilitas fit condita, ut tantum supportet probos morigeratos, quite suspiciunt, qui te honorant, & non pro discolis, insolentibus, qui millenis injuriis te afficiunt? Eheu! paucissimi Spiritu Dei regere norunt,

XII. Quadam vice vidi pastorem per montes, per valles insectantem ovem errabundam, quae saltitabat per rupes, ut a Pastore fugeret. Miser homo currebat per nives, glacies, sed tandem cecidit in præcipitum, & miserè occubuit. Alter ut eum liberaret, post eum insiliit, sed totum contritum, disceptum, mortuum eum eruit. Sanctus itaque Prælatus cœpit flere & dicere. O Deus! & quam non sit

hæc

hæc insignis lectio pro Episcopo , & Superiori ? Hic miser homo periit , ut salvaret ovem fugitivam , & errabundam : & ego eheu ! O me miserum ! ut juvem animam perditam , tam exiguum zelum habeam , ut minima res mundi me detineat , & numerem omnes meos gressus , omnes meos labores ? O mi Deus ! Da mihi verum zelum , & Spiritum Pastoris . Eheu ! & hic miser opilio , quot non damnabit Pastores animarum , Superiores ?

XIII. Quadam die ei dicebam , quendam Prælatum nunquam satiari lectione librorum ejus , magnisque eum extollere præconiis . Verum ipse respondit : Perchare pater , ille bonus Dominus magno me afficeret gaudio , si me relinqueret , qualis sum . Ego melius cognosco Franciscum Salesium , quam ullus homo in mundo . Meum cor , meus Confessarius sunt duo testes irrefragabiles mearum miseriarium . Viden' qualiter bonus Prælatus , & Superior non debeat curare ea , quæ de eo dicuntur , nec tantam habere complacentiam in sua bona intentione , nec nimium delectari splendorc illorum paucorum bonorum operum

rum, quæ facit, ita ut destruat, & perdat veram cognitionem sui ipsius. Optima cogitatio, quam habere potest Superior, est, si quandoque consideret suos defectus; nam in operibus, quæ judicio amoris proprii videntur nobilia; judicium amoris veri multos defectus, & imperfectiones invenit. Is, qui sibi persuadet, quod omnia sua bene faciat, qui existimat se nullum committere defectum, qui putat se tantum delinquere leviter, est Pastor, qui seipsum, & non oves pascit. Is qui valde laborat, & parum lucratur, non est fidelis, nec in suum regimen benedictionem Dei trahet. Pretiosissima omnium gazarum quæ reperiuntur in thesauro Superioris, est profunda humilitas, quæ omnia bona opera soli attribuit Deo; defectus vero tam proprios, quam Subditorum sibi ipsi. Illi qui semper urgent rationes, sunt mihi valde suspecti. Sunt similes illis, qui postquam sub meridiem fixis obtutibus observarunt solem, omnia quæ intuentur, putant esse soles; cum tamen alii sciant eos nil aliud videre, quam fortes, & spurcitas; & ratio est, quia ocu-

H los

los habent refertos luce, & lumine amoris proprii, qui eos offuscavit.

XIV. Dum prædicaret Parisiis, passim, & absque ulla discretione invitabatur ad habendas conciones matutinas & vespertinas. Ego quadam die spiritus sumpsi, cumque sic affari cœpi: Reverendissime Domine, si venia verbo, tu te occidis, tu nimiis concionibus te gravas. Ille manus meam premens suaviter subridendo dixit: Pater, te assecuro, quod magis fatiger, si non prædicem, quam quando prædico. Cum Deus me instituerit pastorem, & prædicatorem, officio meo satisfacere debeo. Ut veritatem fatear, valde miror, quod Parisienses me tanti aestiment, qui linguam habeo blasphemam, grossam, conceptus viles, discursus communes, & simplices. Tu ipse, qui meis concionibus interfuisti, testari potes, quod veritatem dicam: Et an etiam in eum non oblitus, quod tot boni Parisienses ad meos sermones confluant? Sed ego mox replicavi: Et an putas Illustrissime Domine, Parisienses tua exigere verba? Iis sufficit, quod te videant in pulpito; tuum cor loquitur

cūm

cum tuo vultu , cum tuis oculis . Esto non
recitares nisi orationem Dominicam , dum
vident hominem , qualis tu es , contenti
sunt . Tua lingua grossa , & tarda melius
ferit ; tua verba communia inflammat a
igne charitatis emolliunt , & penetrant
corda ; tua verba habent , nescio quid rari ;
sunt pondus , omnia feriunt , omnia pene-
trant , nihil dicis , & omnia dicis . Alius
multò plura diceret , nec tamen diceret
mediatatem eorum , quæ tu dicis ; non ha-
bebit Auditores , & esto haberet , nullum
fructum in iis reportaret . Tu habes
quandam Rheticam Annesiorum , vel ut
melius dicam , Paradisi , quæ miros effectus
producit . His dictis me complectebat-
tur , & suaviter subrisit , ita ut discursum ab-
rumpere debuerim . En ejus modum ;
semper suo sensu perdebat , & tamen sem-
per lucrabatur , & habebat , quod ven-
deret .

XV. Habebat aliquod principium ,
quod velut oraculum debet admitti . Nil ,
dicebat , amittitur dulcedine velut saccha-
ro . Et quamvis per bonitatem aliquis
committeret quendam defectum ; aut-

H 2 men

men hic coram Deo esset valde innocens,
vel causa tanti boni, ut dici possit id, quod
cantat Ecclesia de peccato Adami : O fe-
lix culpa, quæ Salvatorem mundi, & com-
pendium omnis nostræ felicitatis è cœlo
traxit. E. contra rigor parum boni præ-
stat, & multa mala causat; turbat corda;
generat odium, & ipsa beneficia quæ con-
fert, consumit; nam cum tam exigua grati-
a ea confert, ut non sit grata, nec aliquis
se gratum exhibeat. Rem miram dice-
bat, quod per tres annos integros studue-
rit mansuetudini Christi, & humilitati
eius cordis, nec tamen adhuc se esse con-
tentum. *Eheu!* quod si ille, qui erat ipsa
suavitas, ipsa benignitas, integris annis
studeat, ut eam acquirat, & putet se pauxil-
lum habere; quid facient illi, qui cor ha-
bent plenum spinis, qui naturam habent
asperam, verba amara, frontem corruga-
tam, complexionem arrogantem & impe-
riosam? Quomodo possint existinare,
quod sint capaces ad regendos alios, dum
malam passionem regere, & subjugare ne-
queunt. Hic Sanctus multos Superiores,
& servos Dei condemnabit.

Et

Et hinc dum sua incomparabili benignitate omnes etiam Ecclesiasticos scandalosos reciperet, multi obmurmurabant, & scandalizabantur. Verum sanctus vir tantum subrisit dicens: mi Deus, & an non satius omnes suaviter ducantur ad Purgatorium bonæ & veræ pœnitentiæ, quam impetuose trudantur, & pellantur ad infernum turpis desperationis, & im-pœnitentiæ finalis? Et quomodo illi cum hoc rigore vadant ad Purgatorium, qui vix cum illa asperitate absolutè insupportabili, corde mille timoribus transfixo, ad Paradisum ire nollent?

Ego sub fornice cœli non invenio potentius remedium contra impetuositatem, & impatientiam, quæ nomine zeli decoratur, quam suave, & felle carens silentium. Et quamvis aliquis paucaloquatur; attamen amor proprius multa effutit, & tot verba inconsiderata evomit, ut cor spatio viginti quatuor horarum mille amaritudinibus sopiatur. Quando Superior nil dicit, nil respondet, sed libenter injurias suffert, & expectat, donec tempestas sedetur: ira, & indiscretio stupefiunt, & cor

H 3

diu

diu suavissima jucunditate, & latitia
fruitur.

Et revera unum est, quod Prælatis, ac
Superioribus magnam molestiam creat,
nempe quod dum mille negotia occur-
runt, & mille audientiam flagitant, qui-
libet statim expedire velit, absq; eo quod
tempus respirandi indulget. Hoc mihi
sæpe evenit, sed pactum inivi cum meo
corde, cum mea lingua, & imitatus sum S.
Job. Dum huic servi successivè unus post
alterum nova referret, uni respondit. Sic
Superior si unus veniat, uni respondeat, si
duo, unico responso iis satisfaciat. Hoc
modo Deus probat nostra corda ut videat,
num sustineant malleum, & sint sufficien-
ter solida subditi sunt mihi velut infantes
qui ad sinum patris confugiant. Nun-
quam gallina tedium capit, dum pulli si-
mul sub ejus alis se abdunt: immò alas su-
per omnes extendit, & meliori modo quo
potest, eos tegit. Videor mihi sentire
quod meum cor crescat in pectore, dum
numerus subditorum, qui ad me confugi-
unt, crescit; & ita sum comparatus, ut
omnes unâ ulnâ metiar.

XVI. Quod si aliquis ejus spiritum velut in speculo intueri velit, is debet legere regulas, quas condidit pro directio- ne matrum visitationis: nam omnes sunt refertæ cordialitate, candore, charitate materna, longanimitate, patientia, teneri- tate extrema, compassione, condolentia, supportatione debilitatum imperfectio- rum. Verbo, totæ sunt ignis, totæ amor divinus, totæ patientia invicta. Dum in extasin raptus disceret se futurum funda- torem alicujus Ordinis, ei tradita fuit hæc norma divina, hæ Regulæ Paradisi revelata, & impositum, ut regimen animarum fa- cilius redderet. Ejus arma erant lachry- mæ, ejus mandata preces tam dulces, ut nullum cor iis resistere potuerit. Ejus ma- xima particularis erat nil petere, & nil de- negare. Verum distinguere oportet, quod nil re ipsa petierit, & nil quidquid ei gra- tum judicabatur, fuerit ei denegatum. Fa- muli eum amabant velut patrem; nil iis dicebat, & tamen omnes sudabant, & ei diu noctuque affectuosè & amorosè fa- mulabantur.

XVII. Dicebat à vero Superiore ini-

H 4

tan-

tandum esse Jesum Christum , qui visus
fuit tenerius amare imperfectiores quam
perfectiores. Infirmi, inquietabat, sunt illi,
qui egent medico, & non sani. Magis mihi
placet misericordia , quæ supportat infir-
mos , & defectuosos , quam sacrificium.
Veni ut vocarem peccatores , & non ju-
stos. Meus Pater misit me, ut solares af-
flictos, & eos qui cor habent afflictum , &
aliquâ æruimnâ dolorosâ transfixum,
dumque invenio unum drachma , totus
Paradisus tecum gaudet , & lætatur. Por-
rò dum sanctus Prælatus hæc verba citaret,
dicebat, quod Prælatæ visitationis debe-
rent habere hunc spiritum ; cum charita-
tem diceret perfectius impleri in imper-
fectis , quam perfectis , ac aliquem satius
excedere in bonitate, quam in aliquo zelo
apparente , qui saepe non est aliud ; quam
vera impatientia.

XVIII. Addebat Superiorem caren-
tem spiritu generositatis nunquam posse
esse verum Superiorem. Pusillanimes &
cordis angusti submerguntur & percurrit
scypho aquæ. Generosi è contra pro-
fundieribus Oceanis illudunt. Superior
angu-

angusti cordis quamprimum aliquis vel minimum defectum comittit, statim excedens, vult eum dimitti, & ad alium locum relegari. Porro hoc nil aliud est, quam inera impotentia, debilitas & infirmitas cordis ac virtutis. Persona generosa à nihilo turbatur, & movetur, nec ab ullo vult exonerari, quia generositas cordis omnes capit, & existimat, quod dum Deus omnes illos ei subditos dedit, in eorum regimine, & gubernatione debeat ostendere se esse fideles. Et an non res ridicula foret, si Medicus videns graviter infirmum, fugeret, aut opilio ad adventum lupi fugâ sibi consuleret? Non absimiliter ille qui latanter regit illos: qui bene se habent, & non alios, qui male se habent, ita ut eos supportare nequeat, nunquam erit verus Prælatus, nec melius valebit, quam nauclerus, qui nequit gubernare navim, nisi habeat omnes ventos propitios, & faventes.

XIX. Et revera multi sunt, qui sub falso prætextu humilitatis & incapacitatis fiunt infideles Deo, & coram eo magno merito privantur. Dum Romæ examinandus esset

H 5

pro

pro Episcopatu, intravit quandam Ecclesiam, ut miram orationem funderet. Alius orasset: *Veni Creator Spiritus, &c.* ut Deus ei conferret gratiam, ut posset esse bonus Episcopus. Verum sanctus vir Deum rogavit, ut faceret, quod placeret ejus voluntati, & si ei magis conduceret, nil diceret ad propositum, ac ita rediret pudefatus; nam hoc summopere desiderabat; nam parum inquietabat, refert, num sim Superior, vel inferior, totus, vel nihil, dummodo Deus in me adimpleat suam sanctissimam voluntatem.

XX. Interim non volebat, nec permettebat praetextu indulgentiae & suavitatis defectus manere impunes, & foveri temeritatem eos committendi. Superiores, inquietabat, imitari debent sponsum, qui bibebat vinum cum lacte, comedebat favum mellis, & rigorē, dum res ita exigeret suavitati miscebat. Dum quadam die predicaret, vidit quendam adolescentem insolentem, qui sub concione mille aspectibus quandam puellam alliciebat. Talis petulantia eum commovit, & magno zelo inflammatus exclamavit: Et an tem-

plum


plum Dei debeat mutari in speluncam furum , & latronum ? Nisi te emendes , dīgīto te monstrabo , & coram mūndo te proclaimabo . Quoad me nullo, quod me tangit, plus moveor , quām si me non tangēret . Verūm quod Deum tangit , me maximē angit, ita ut nil sit , quod non faciam, ut quilibet contineatur intra terminos suā obligationis . Dum agere deberet Eliam, & Leonem, exactē eum agebat , & incredibili reverentiā loquebatur Papæ Regi, Duci Sabaudorum, urgebat servitium & honorem Dei, etiam cum jactura bonorum, honoris, & propriæ vitæ . Non solū dicendo , sed & operando fiebat idea bonorum Episcoporum , & speculum verorum Superiorum . Deus det gratiam, ut imitemur ejus eminentes virtutes , & ab eo verum modum gubernandi discamus . Qui vult scire, quid debeat agere , in eum solum debet oculos convertere, & facere, quod ipse fecit .

L A U S D E O .

卷之三



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN





Th
2896